F. JOSEPHI ARCHANGELI

A FRACTA MAJORI

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

SACRÆ THEOLOGIÆ

SYNOPSIS

AD USUM

CLERICORUM ORDINANDORUM.

TOMUS I.

NEAPOLI MDCCCXXI.

Typis BARNABÆ CONS.

LECTORI AMICO

Auctor S. P. D.

Miraberis certe, et juste quidem, Lector amice, miraberis, cur in tanta librorum de Theologicis disciplinis redundantia, qua fere Bibliothecæ opprimuntur, et pauci admodum sunt, qui eos legant, ego hanc Sacræ Theologiæ Synopsin publici juris facere sim ausus; unde nisi me ingenio veluti destitutum irrides, saltem imprudentiæ atque præcipitantiæ accusabis. Verum si consilium, et rationem meam in hac Opella edenda perpendes, confido fore ut, si non laude, saltem excusatione dignum me existimes. Cogitanti enim mihi, et animo sæpe sæpius volventi, quo tandem crudeli fato (si ita loqui fas est) eveniret, ut ex tam multis Clericali militiæ adscriptis, (quibus Theologiæ studium est necessarium quamquodmaxime) qui Theologicis facultatibus incumbunt, admodum pauci sint, qui post laborem trium, vel quatuor annorum Theologico pulvere aspersi, paucissimi adeo qui sacra facultate sufficienter instructi videantur, ut numerari, et ve-

veluti digito demonstrari possent, illud mihi compertre visum fuit, hoc evenire, vel 1. Ex mentis imbecillitate, *qua fit, ut non omnes ad studia Theologica sint æqualiter apti; vel* 2. Ex laboris impatientia, *qua fit ut juvenes, licet ingenio præclari, ab lectionum prolixitate, tædio affecti, aut librorum nimia mole perterriti, studio valedicant; vel tandem* 3. Ex studiorum perturbatione, vel Magistrorum mutatione, *qua fit ut juvenes vel eadem a diversis, et diverso stylo' audiant, vel dimidiate, et partim ab uno, partim ab alio percipiant; adeo ut eveniat quandoque, integrum elabi quadriennium, quin pauci saltem Tractatus integre sint absoluti, et forsan in pluribus quoque deficientes, atque interpolati; idque quo juventutis præjudicio, Deus scit. Porro huic malo, quantum ex me est, occurrere volens, in eo curam cogitationemque converti, ut opus Theologicum invenirem, quod foret nostri temporis juventuti accomodatum; facile nempe, et breve; nec tamen robore, aut necessariis cognitionibus orbatum, et quantum fas esset, sufficienter completum, ut sic, omnes, sive ingenio rudes, sive præclari, semper, et*
uni-

uniformiter, et integre totum Theologi-cum cursum absolverent. Plures Institutiones Theologiæ ad manus habui diversis, atque probatissimis Theologi conscriptas, plura horum, vel aliorun Doctorum Theologiæ Compendia reppe-ri, bona quidem in genere suo, at intentui meo parum consona; quipp hæc nimis contracta, et parum, aut nihil solidi continentia, illæ nimis prolixæ, atque proinde non omnium ingeniis aptæ. Quid igitur? Ut Clerici præsertim, qui sacris initiandi sunt opem ferrem, eisque examen subeundum facile redderem, statui, Dei auxilio fretus, novam Theologiæ Opellam conscribere, quæ nec nimis contracta et brevis foret, ut Clericos in rebus Theologicis jejunos relinqueret, nec nimis prolixa, ut vel ipsos subtili ingenio præditos exanimaret, sed medium iter teneret. Quod et hac mea Sacræ Theologiæ Synopsi, *quam offero, an sim assecutus, judicio Sapientum relinquo. Hoc unum, quin advertam relinquere non possum, amice Lector, me nempe in seligendis Tractatibus, et Quæstionibus secutum fuisse Elenchum a* R. P. Philippo a Carboneano, *viro sane in Sacra facultate versatissimo compositum, a*

Pontifice Benedicto XIV. *rescripto* 12. *Septembris* 1757. *adprobatum*; *et a* Reverendissimo P. Clemente a Panormo *Ministro Generali totius Ordinis S. Francisci in Actis Capituli Murciensis, omnibus Sacræ Theologiæ Lectoribus ordinatum. Hæc porro tota Theologiæ Synopsis tribus Tomulis absolvetur. Quibus, ut Clerici Ordinandi facilius examen Ordinariorum, ut dixi, sustinere possint, quartus, Deo dante, adjungetur, in quo præter peculiarem Tractatum de Sacris Ordinibus in genere, et in specie, interrogationes omnes, et objecta, continentur, quibus adprime responsa, suis numeris in toto opere extensa correspondent, ita ut dici possit, Synopsin hanc, simul Methodo Scholastica, et Socratica, vel ad modum dialogi esse conscriptam. Hæc mea mens fuit, hoc meum consilium in hac Opella edenda. Si quid mali in ea reperies, rogo imbecillitati meæ tribuas, unde et benigniter aut compatiaris, aut corrigas. Si autem quid boni, illud Deo tribuas, a quo bona cuncta procedunt. Quod ad me attinet, omnia mea dicta, et exposita S. Romanæ Ecclesiæ infallibili judicio, integre submitto, cujus me filium esse maximopere gestio.* Vale

SACRÆ THEOLOGIÆ SYNOPSIS

PROLEGOMENA.

§. 1. THeologia si nominis vim spectes, non est aliud quam *sermo, vel discursus de Deo*. Derivatur namque ejus nomen ex duobus græcis vocabulis *theos, idest Deus*, *et logos*, vel *logia*, *idest sermo*. Si vero secundum propriam naturam, atque indolem spectatur, recte dici potest; *Rerum divinarum, earumque, quæ ad supernam hominis fælicitatem pertinent, disciplina.*

§. 2. Quoniam vero vel solius rationis naturalis ductu, vel supernaturalis revelationis auxilio de Deo sermonem instituere possumus, hinc Theologia alia est *Naturalis*, *Supernaturalis* alia, vel *Revelata*. Prior est illa, quæ de Deo, rebusque divinis pertractat solo humanæ rationis lumine. Secunda vero, Dei verbo innixa, Deum ejus essentiam, attributa, nec non incomprehensibilia Mysteria, et modum insuper æterna beatitudine fruendi, tradit. Illa proprie Philosophorum est, hæc Theologorum, et de ista in præsenti Opella erit semper sermo noster.

§. 3. Theologia porro isthæc supernaturalis, ratione diversi modi, quo comparatur, alia est *Beatorum*, *Viatorum* alia; et hæc insuper vel *infusa*, vel *adquisita*. *Theologia Beatorum est clara, et intuitiva Dei, rerumque divinarum per lumen gloriæ cognitio.* Theologia viatorum infusa est illa, quæ homini in hac vita existenti obvenit per species, notionesque ipsi a Deo infusas: Talis fuit illa, qua præditi fuerunt Christi Domini Discipuli post adventum Spiritus Sancti, qui cœperunt loqui magnalia Dei. Talis quoque fuit illorum omnium, qui esto literaturam non cognoverint, fuerintque pene rudes, ac scholas et Lycea nequidem e limine salutaverint, de Deo nihilominus, rebusque Divinis adeo profunde, atque subtiliter disputarunt, ut vel ipsi sapientes, doctioresque Theologi in admirationem maximopere raperentur. Theologia viatorum adquisita, qualis nempe ab hominibus communiter comparatur, proprie loquendo: *Est quædam de Deo, rebusque divinis, ex principiis revelatis, et verbo ipsius Dei sive scripto, sive tradito, creditis discursiva cognitio et scientia.*

§. 4. Scientia quidem, at non stricte, et in rigore, sed lato sensu. Esto namque

Theo-

Theologia sit cognitio certa, imo certior quacumque alia cognitione, quia innititur verbo Dei; adeoque: *Multo certior* (*a*) *est homo de eo quod audit a Deo, qui falli non potest, quam de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest*; deest tamen ei *evidentia*, quæ necessario requiritur in scientia rigorose, et proprie dicta. Negari tamen nequit, Theologos perspicue videre conclusiones, quas inferunt ex articulis revelatis, certo, ac necessario ex eis sequi, sed hæc evidentia est *formalis*, et *consequentiæ*, ut ajunt; evidentia scilicet connexionis quam conclusio habet cum suis principiis, non autem evidentia materialis, et consequentis; evidentia nempe *principiorum*, ex quibus infertur conclusio. Principia namque Theologiæ propria, sunt propositiones, vel propositio divinitus revelata, et divinitus credita, non evidenter cognita.

§. 5. Quænam vero scientia sit Theologia, speculativa ne an pratica, non conveniunt inter se Theologi. Quidam enim cum Henrico (*b*) volunt eam esse scientiam pure speculativam. Alii cum Scoto, subti-

(a) *Ait* D. Thomas *art.* 2. *ad* 2.
(b) *In Summa art.* 9.

subtili nostro Doctore (*a*) defendunt eam esse simpliciter, et absolute practicam. Alii tandem cum Angelico Præceptore (*b*) existimant eam esse formaliter partim speculativam, et partim practicam; magis autem speculativam quam practicam. Salva fide quisquis, quam sibi placuerit, amplectatur sententiam. Quod ad me attinet, Scotistis adhæreo. Nam etsi Theologia versetur in contemplatione Dei rerumque divinarum, non in sola tamen, et nuda contemplatione se sistit, sed ultra progreditur, et regulas recte vivendi tradit. Quare D. Augustinus (*c*) huic scientiæ tribuit illud, *quo fides saluberrima ad veram beatitudinem ducit, gignitur nutritur, defenditur, roboratur*. Quare practica simpliciter dicenda est.

§. 6. Quia ergo Theologia est scientia, propterea habet objectum, idest id, circa quod occupatur. Duplex autem distinguitur cujuslibet scientiæ objectum: *materiale* nempe, et *formale*; atque formale item aliud est formale *quod*, ut loquuntur scholæ, aliud est formale *quo*. Objectum materiale est res ipsa, circa quam disci-

(a) *Quæst.* 4. *Prologi n.* 32.
(b) *P.* 1. *q.* 1. *art.* 4.
(c) *In lib.* 14. *de Trin. c.* 1.

disciplina, vel scientia versatur. Objectum formale est formalitas, sive ratio , quam scientia in objecto materiali attingit, sibique illud per eam considerandum determinat. Objectum formale *quod* est ratio, per quam objectum totale continet virtualiter omnia, quæ in scientia, seu disciplina tractantur, et per quam ad illud reducuntur; illud autem ulterius ad alterum non ordinatur. Objectum formale *quo* est motivum, seu medium, per quod disciplina , seu scientia objectum sibi proprium attingit. Objectum itaque materiale Theologiæ sunt *Deus* ipse , et res , quæ ad Deum aliquo modo referuntur. Circa hæc siquidem tota Theologia occupatur. Objectum vero formale est *Deus ut Deus*, seu ipsa *Divinitas*. Nam Divinitas, seu Deitas est forma , et ratio, quam quærit , et attingit Theologia in objecto materiali. Objectum formale *quod* Theologiæ est etiam ipsa *Deitas*. Etenim omnia quæ traduntur in Theologia manant a Deitate veluti a fonte, et radice, et ad ipsam reducuntur; ipsa autem ad aliud ulterius non refertur. Objectum tandem formale *quo* Theologiæ est *virtualis ac mediata revelatio*; siquidem medium, sive motivum per quod Theologia attingit suum obje-

ctum ,

ctum, idest Divinitatem, est virtualis, ac mediata revelatio.

§. 7. Theologia esto in seipsa sit una, eadem, atque indivisa, ratione tamen diversæ methodi, qua pertractatur, dividitur in *Positivam*, et *Scholasticam*. Positiva est illa, quæ suas conclusiones, discurrendo probat per principia positiva, quæ non probantur, sed supponuntur, atque creduntur, qualia sunt, quæ desumuntur ex Scriptura sacra, vel ex Traditione Apostolica, nobisque per Ecclesiam proponuntur. Scholastica, eadem est in re, idemque præstat, ac Positiva, majori tamen Methodo; videlicet adcuratius, subtilius, et ad artis dialecticæ criticæ syntheticæ regulas propius accedens, fidei dogmata proponit, ac probat.

§. 8. Positiva Theologia semper extitit. Etenim ex veritatibus expresse revelatis multa inferebant, nedum Patres, et veteres Theologi, sed ipsemet Christus, et ipsius Apostoli. Christus enim ex Scripturis suam adversus Judæos, argumentando, probavit divinitatem: Admittebant Judæi, Christum esse filium David, ut ergo Christus suam probaret divinitatem, posito Davidis textu Ps. 100. *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis*, sic eos per-

strin-

stringit (*a*). *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est?* D. Paulus (*b*), ex quo fide certum sit, Christum pro omnibus mortem subiisse, concludit: *Ergo omnes mortui sunt.* Patres quoque ex verbis Domini apud Joannem (*c*).. *Sine me nihil potestis facere*, concludebant, gratiam Dei, esse necessariam ad singulos pietatis actus, etiam ad fidei initium habendum, contra ac docebant Pelagiani.

Non sic autem Theologia Scholastica: Nam, ut communiter tradunt Historici, Theologia ad methodum Scholasticam primo redacta fuit a S. Joanne Damasceno, initio sæculi VIII. in quatuor illis libris, quos *de fide Orthodoxa* inscripsit: a Petro autem Lombardo Episcopo Parisiensi sæculo XII. apud Latinos introducta fuit, percelebri illo opere, quod *quatuor Libros sententiarum* nuncupavit.

§. 9. Positiva Theologia non est omnibus, et singulis fidelibus simpliciter et absolute necessaria, sed toti Ecclesiæ. Nam multi rudes, atque indocti, quin Theologiam didicerint, quia fidei articulos firmis-

(a) Matth. 22. v. 43.
(b) *II. Corinth.* 5.
(c) *Cap.* 15. v. 5.

missime credunt, et bona opera faciunt, salutem consequuntur æternam juxta illud (a): *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*; aliunde distinguens Apostolus in Ecclesia singulorum fidelium officia (b): *Numquid*, ait, *omnes Apostoli? . . . Numquid omnes Doctores?* At non sic de tota Ecclesia. Ipsi namque est summe necessaria Theologia Positiva. In Ecclesia enim oportet sint Episcopi, et Doctores, qui potentes sint exhortari fideles in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere; quod certe sine Theologia consequi nequit.

§. 10. Quod attinet ad Theologiam Scholasticam, esto ea, strictim toti Ecclesiæ necessaria dici nequeat, cum per plura sæcula, quin fuerit exculta, fidei veritates constabilitæ fuerint, redarguti contradictores, hæreses interemptæ, atque victrix Ecclesia adversus inferi portas semper extiterit; est tamen, omnium eruditorum sententia, ipsi Ecclesiæ utilissima; quippe per eam Hæretici, atque Pseudocatholici efficacius profligantur, et Catholicæ veritates firmius stabiliuntur.

§. 11. Sicuti omnis scientia, ita et Theolo-

(a) Marci 16.
(b) I. Corinth. 12.

logia suos locos habet ; *fontes* nempe , *atque veluti promptuaria, ex quibus, et ad id quod asseritur demonstrandum , et ad id quod falsum est refellendum, varia argumentorum genera derivantur.* Hujusmodi autem *Loci* decem vulgo enumerantur ; ex quibus alii sunt *interni* , alii *externi*. Interni sunt sex : 1. Sacra Scriptura ; 2. Traditio ; 3. Ecclesia ; 4. Judicium Romani Pontificis; 5. Concilia; 6. Sanctorum Patrum auctoritas. Extrinseci autem sunt quatuor sequentes: Nempe 1. Auctoritas Scholasticorum ; 2. Rationis naturalis argumenta ; 3. Auctoritas Philosophorum, et Cæsarei juris consultorum ; 4. Historia humana . De quibus omnibus diffuse agunt Melchior Canus Episcopus Canariensis, in opere vere aureo , quod de *Locis Theologicis* inscripsit : Gaspar Ivenin integro Tomo I. Instit Teolog. Thomas ex Charmes integro etiam Tomo I. Theolog. Univ. : aliique plures. Atque hæc sufficiant Sacræ Theologiæ Synopsis Prolegomena (*a*).

TRA-

(a) *Si qui vero eа fusiori calamo pertractata, atque discussa legere desiderant, præter modo citatos auctores, consulant* Claudium Frassen *Tomo I. Operis, cujus titulus :* Scotus Academicus: Franciscum Henno *Tomo I. Theolog. Dogm. &c.* Honoratum Tournely *Tomo I. &c.*

TRACTATUS I.

De Divina Revelatione sive De Verbo Dei scripto.

CUm Theologia universa Verbo Dei sive scripto, sive tradito, firmissimo veluti fundamento innitatur (§.3.); cumque Verbum Divinum nonnisi revelatione haberi possit, ordinis ratio postulat, ut a Tractatu de Revelatione Divina, et primum à Verbo Dei scripto, hæc Theologiæ nostræ Synopsis sumat exordium. Propterea sit.

CAPUT I.

De necessitate doctrinæ revelatæ.

§. 1. REvelatio *est rei occultæ, et incognitæ detectio, et manifestatio. Doctrina* itaque *revelata* nihil est aliud quam: *Summa veritatum occultarum, et incognitarum, quas Deus sive immediate per seipsum, sive mediate per alios dignatus est hominibus mani-*

fe-

festare, tum ut ipsum, quantum in hac vita opus est, cognoscant; tum ut recte agant, eique debitum cultum, et reverentiam præstando placeant.

§. 2. In duplici statu potest homo considerari: In statu nempe naturæ integræ, in quo primus homo a Deo conditus fuit, et in statu naturæ corruptæ, in quo est nunc post Adæ lapsum. *Status naturæ integræ est ille, in quo ratio plene Deo erat subjecta, et sensus, et appetitus rectæ rationi subditus. Status* vero *naturæ corruptæ est ille, in quo humana ratio, ab appetitu, et sensu illecta, dissentit ab incommutabili ratione, et sensus, et appetitus adversantur rationi.*

§. 3. Num ergo in præsenti statu naturæ corruptæ necessaria sit homini doctrina revelata, ut suum finem ultimum assequatur, id est non leviter disputatum. Præter veteres quosdam Philosophos Ethnicos, quibus se adjunxere Sociniani, ex Recensioribus inter Catholicos, Revelatæ doctrinæ necessitatem impugnaverunt Naturalistæ, seu Deistæ, solam rationem naturalem homini sufficientem adserentes. Ac inter eos omnium primus publice signum apud Anglos erexit Tindall, edito libro: *Christianismus tam antiquus,*

quam creatio. Ipsum postea sequuti sunt Collinius, Wollastonius, Uriel Acosta ex Christiano Judæus, ex Judæo deista factus, Rousseau, Voltaire, aliique, quorum, fere, hodie infinitus est numerus. Contra quos stant, nedum Theologi omnes, sed cordatiores Philosophi.

PROPOSITIO.

Homini, in hoc statu, ad adsequendum suum ultimum finem necessaria est Doctrina revelata.

§. 4. Probatur. Deus uti Dominus, atque factor omnium, hominem condidit ut ab ipso in præsenti vita cognosceretur, atque amaretur, et post hujus mortalis vitæ cursum, ad æternam felicitatem admitteret. Atqui in præsenti statu naturæ corruptæ, homo sola naturali ratione duce nequit Deum uti oportet cognoscere, atque diligere, necnon æternam felicitatem adsequi; ergo est ei necessaria doctrina revelata. Prob. min.: Inter alia quæ necesse est sciat homo in præsenti statu, atque certo, et firmiter teneat atque confiteatur, præcipuæ sunt, Deum esse unum in essentia, Trinum in Perso-

nis; Verbum Divinum, secundam scilicet Trinitatis Personam, humanam carnem in Virginis utero assumpsisse, mortemque pro salute humani generis subiisse. Insuper ut recte agat, et salutem consequatur æternam, necesse est sciat quis cultus Deo debeatur, quibus sacrificiis, et hostiis promereatur Deus; quibus operibus magis oblectetur, et quibus mediis, expiatis culpis, gratia obtineatur et gloria; atqui hæc omnia solo rationis naturalis lumine sciri nequeunt, cum sint supra rationem; ergo etc. Prob. min. Si prædicta, ratione naturali adsequi possent, nec essent supra rationem, saltem Philosophi, ac Sapientes omnium temporum, suis studiis, ac profundis meditationibus ea consequuti fuissent; atqui hoc experientia, et unanimi Historicorum consensu falsum comprobatur; ergo etc.: Et sane, quid Philosophi ipsi celebriores de Deo, ejusque attributis, et operibus recte intellexerunt? Quid, imo, de Deo iniquius, aut stolidius non cogitarunt, atque effutierunt? Audiatur Auctor libri Sapientiæ, qui de Sapientibus ipsis Ægyptiorum loquens, ait (*a*) quod ipsi: *In erroris via diutius erraverunt, Deos æstimantes hæc quæ in animali-*

 bus

(a) *Cap. XII. v. 24.*

bus sunt supervacua , infantium insensatorum more viventes. Audiatur S. Paulus qui de Philosophis, ac Sapientibus Athenarum et Romæ scribens (*a*) ait; quod ipsi: *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium.* Audiantur omnes sanæ mentis, et recti corde, qui Philosophos, et naturalis rationis patronos hujus temporis contemplantur. Heu! profusis lacrymis, fatentur: eos, volentes uti sola ratione naturali, omni revelatione seclusa, de uno in alium errorem transiisse; usque adeo, ut eorum plurimi in Atheismum prolapsi, dum naturalem religionem extollere volebant, omnem religionem, e mundo sustulerint. Hæc adeo certa sunt, atque explorata, quam quod maxime. Quare homini in hoc statu ec.

Deistarum objectiones solvuntur.

Obij. 1. Ratio naturalis a Deo data est homini ut eum cognosceret, et cognoscendo

(a) 1. *Roman. v.* 24.

do diligeret; ergo sola sufficit homini ut finem ultimum consequatur. Adeoque falsa propositio..

§. 5. ℟. dist. cons. sufficiens fuisset pro statu naturæ integræ, quando Deus primo hominem condidit, transeat; in præsenti statu naturæ lapsæ, nego consm. Forsan in statu innocentiæ, in quo homo suis facultatibus recte, atque expedite utebatur, poterat sola naturalis ratio homini sufficere ut finem ultimum adsequeretur (esto non desint, qui oppositum teneant). At in præsenti statu, in quo unusquisque nascitur ignorantiæ tenebris obrutus; continuam in seipso luctam carnis adversus spiritum, et spiritus adversus carnem experitur non modo, sed talem in malum propensionem, ut licet bona videat, probetque, deteriora sequitur, in hoc statu, inquam, homo revelatione opus habet, quæ et tenebras ignorantiæ ab ipso depellat; deordinationes passionum componat; et veluti fortiter, atque suaviter ad malum fugiendum, et bonum amplectendum alliciat.

Contra. Atqui etiam in præsenti statu naturæ lapsæ homini sufficit sola ratio naturalis; ergo n. r. Pr. subsm. Ratio naturalis in æternis, et immutabilibus re-

rum essentiis fundata est ; adeoque est immutabilis et perfecta ; igitur sicuti in statu naturæ integræ, ita et in statu naturæ corruptæ est eadem, et immutabilis; consequenter sicuti in eo statu, ita et in hoc est sola sufficiens.

§. 6. ℟. dist. 2. p. antis. Ratio naturalis est immutabilis, et perfecta in se considerata, concedo; ut reperitur in homine lapso , nego ans, et conseq. Ratio naturalis in se considerata, utique est perfecta atque in homine innocente sufficiens; At non ita si consideratur ut est in homine per culpam læso ; in eo enim multum insufficiens est , et quidem adeo ut ad plurimas ipsas veritates naturales, aut numquam , aut nonnisi labore improbo pertingit, quemadmodum experientia edocemur.

Obji. 2. Si homini ad suum ultimum finem consequendum necessaria esset doctrina revelata, ea deberet esse omnibus nota ; atqui non est omnibus nota ; ergo non est necessaria.

§. 7. ℟. dist. maj. Si etc. omnibus nota, hoc est in omnium cordibus insita, nego maj. : omnibus a Deo revelata, conc. maj. et dist. min. Atqui etc. , hoc est insita etc. conc., a Deo revelata, n.min.,

et

et consm. . Ut necessaria ostendatur hominibus doctrina revelata ad consequendum ultimum finem, opus non est ut ea in cordibus omnium sit a Deo insculpta, quemadmodum signatum est super nos lumen vultus Dei, nempe ratio, sed sufficit quod ea sit omnibus a Deo proposita, et manifestata, sicuti jam factum est. Nec interest plerosque illam ignorare; nam id oritur ab eorum negligentia, vel malitia, qua Deo subjici aut nolunt, aut negligunt.

Contra: Ex concessis, naturalis ratio non est insculpta in cordibus hominum; ergo non est necessaria. Prob. cons. Omnibus est insitus ad beatitudinem appetitus. Cum ergo sit incredibile quod sit insitus appetitus finis, et non sit insitus appetitus mediorum, inter quæ doctrina revelata computatur, si hæc non est insita, non est necessaria.

§. 8. ℟. dist. cons. Sicuti appetitus finis est insitus, ita et appetitus mediorum; appetitus finis, et mediorum naturalium, conc., supernaturalium, nego consm. Doctrina revelata cum sit donum Dei gratuitum, quod posset Deus hominibus denegare, ejus appetitus certe a natura non profluit. Appetitum namque ad finem,

sicuti et media pro fine supernaturali adquirendo nos non habemus a natura; sed prævia revelatione oritur in nobis (*a*).

CAPUT II.

De Divinæ Revelationis existentia, deque characteribus ejus, sive motivis credibilitatis.

§. 9. CHaractères Divinæ revelationis, qui etiam motiva credibilitatis vocantur, nihil aliud sunt nisi signa quædam, et notæ, quæ in aliqua doctrina relucentes, animus docilis ac prudens movetur, et trahitur ad assentiendum ei, ut a Deo indubitanter revelatæ.

§. 10. Hujusmodi charactéres alii sunt intrinseci, alii extrinseci. Intrinseci si ab his, quæ doctrina revelata continet desumuntur, extrinseci vero si extra eam petuntur.

§. 11.

(a) De Religione tum Naturali cum Revelata permulti scripserunt sive ex professo, sive incidenter. Inter alios Recensiores legantur F. Thomas Maria Cerboni in Opere quod inscripsit: *De Theologia Revelata libri tres.* Gregorius Simon in Opere, cujus titulus: *Tractatus de Religione;* P. Ignatius a Cruce in libro inscripto: *Revelatæ Religionis vindiciæ.*

§. 11. Concordes Theologi non sunt circa horum characterum numerum, et qualitatem. Quidam cum Gregorio Simone tres tantum admittunt; alii cum P. Ignatio a Cruce, quatuor; alii cum Ludovico Abelly septem; alii cum Francisco Henno, etiam septem, sed non eosdem ac supradicti auctoris; et alii plures, aut pauciores.

Propositio I.

Existit revera Divina revelatio.

§. 12. Probatur 1. ratione. Homo sola ratione duce nequit assequi suum ultimum finem, sed indiget necessario doctrina revelata (§. 4.); ergo existit hæc doctrina. Prob. cons. Qui vult efficaciter finem, media quoque velle debet, et præstare ad finem consequendum; atqui Deus vult hominem suum ultimum finem consequi; ergo media quoque velle, et dare debuit ad talem finem assequendum. Sed inter media præcipuum est doctrina revelata; ergo hanc ei dedit; adeoque existit doctrina revelata.

§. 13. Prob. 2. Consensione Scriptorum, omni ætate, tum integritate morum; tum

tum eminentia scientiæ adeo insignis, ut eis fidem, saltem humanam, negare sit omnem historiam e medio tollere. Et sane cum existentia doctrinæ revelatæ sit materia facti, nonnisi auctoritate comprobari potest. Ac primo quidem Moyses vir omni exceptione major, et in tota antiquitate celebris, pluribus in locis Pentateuchi apertissime testatur, Deum, a primo parente per omnia tempora hominibus locutum fuisse, suamque voluntatem manifestasse; ipsi, et per ipsum Israelitico populo revelasse præcepta, consilia, ritus, et cæremonias, atque omne id quod ab hominibus volebat in signum subjectionis, et amoris erga ipsum; atque insuper omnia signa refert, quibus suam Deus revelationem hominibus testatam esse voluit. Secundo David idipsum repetit sæpius; Psalmo præsertim 101. 7., ubi ait: *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.* Tertio S. Paulus, vir certe populis omnibus admirabilis, Divinæ revelationis existentiam paucis sic exponit ad Hebræos scribens (a): *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissime diebus istis locutus est nobis in filio.* Neque ab-

(a) *Cap.* 1. *v.* 1.

absimiliter loquuntur alii quamplurimi. Ergo existit doctrina revelata.

PROPOSITIO II.

Characteres intrinseci Divinæ revelationis sunt quatuor; nempe 1. Revelatorum rationabilitas; 2. Summa inter se consensio; 3. Doctrinæ puritas; et 4. Prophetia eventu comprobata.

§. 14. EXponitur prop.: Nam primo: quod lumini rationis manifeste, ac vere adversatur a Deo revelatum nullatenus esse potest. Siquidem cum Deus sit omniscius et verax, non potest sibi ipsi contradicere, nequit ideo docere aliquid ratione, cujus est auctor per viam naturæ, et contrarium, et oppositum docere revelatione, cujus est auctor per viam gratiæ. Quæ ergo cum ratione pugnant, eique perfecte opponuntur, (non vero quæ sunt supra rationem) nequeunt a Deo revelata.

Secundo: veritatum inter se sc consensio, et mira concordia, character est doctrinæ revelatæ. Cum namque veritas veritati nequeat esse contraria, quod a Deo

est revelatum cum alio revelato nec pugnat, nec pugnare potest, alias verum vero opponeretur, et Deus falsitatis aut mendacii insimulari posset, quod impium est dicere. Quando itaque partes alicujus doctrinæ inter se conveniunt; et maxime, si qui eas scripserint a se invicem, et loco, et tempore dissiti fuerint, neque ad invicem conferre potuerint, tunc signum est eam esse a Deo revelatam.

Tertio: Doctrinæ puritas, ac Sanctitas, Divinæ revelationis est argumentum. Cum enim Deus sit summe bonus, atque sanctitatis fons et origo, atque doctrinam revelatam homini dederit ut in sanctitate, et justitia omnibus diebus suis serviat ei; cumque fieri nequeat, ut homines, absque revelatione, ex proprio corde, doctrinam promant, undequaque sanctam, et puram, absque ulla commixtione erroris, vel mendacii; quoties doctrina undequaque pura, et Sancta invenitur, revelata est.

Quarto: Idem Prophetia eventu comprobata signum est Divinæ revelationis. Cum namque Prophetia sit earum rerum prædictio, quæ nondum evenere cum prædicuntur, quæque neque ex causis naturalibus, neque ex præsenti rerum statu conjici possunt; Cumque solus Deus sit au-

auctor Prophetiæ, quippe qui solus novit abscondita cordis, et nihil habet quod non sit ei præsens; quoties quod propheticæ prædictum est, evenit revera, sicuti comprobatio Prophetiæ signum est eam fuisse a Deo, ita character est doctrinæ revelatæ.

PROPOSITIO III.

Inter characteres extrinsecos doctrinæ revelatæ computari debent miracula.

§. 15. PRob.: Nam miraculum (ut infra fusius patebit) est effectus singularis, qui supra naturæ vires, vel præter stabilitum rerum ordinem fit; Jam vero solius Dei est effectus producere qui vires naturæ creatæ excedunt, aut stabilitum rerum ordinem prætergrediuntur; Semper ac igitur aliqua doctrina veris miraculis confirmatur, a Deo revelata dicenda est; adeoque etc.

CAPUT III.

Expenditur utrum Deus per se, vel per alium mentiri possit?

§. 16. MEntiri nihil est aliud, quam asserere falsum animo fallendi: Duo ergo ad mendacium requiruntur; 1. ut falsum dicatur, et 2. ut eo animo dicatur, ut fallantur audientes.

§. 17. Duplex in Deo potentia est distinguenda; una nempe generalis, et absoluta, alia ordinaria. Prior est illa, quæ nulla lege, etiam naturali constringitur, et circa illa versatur, quae esse non repugnant. Secunda est illa quae legi naturali subjecta est, et circa ea tantum versatur, quae esse possunt, salva lege, statutisque Divinis.

§. 18. Qui Deum mentiri posse non solum asseruerunt, sed et jam mentitum pluries fuisse blasphemarunt, fuerunt Manichaei. Qua de re Vetus testamentum rejiciebant, eo quod mendaciis plenum esse dicebant, et a Deo malo Patriarchis, et Prophetis dictatum. Post hos Priscillianistae, ut suum de honestate, et bonitate mendacii errorem firmarent, Deum in Sa-

cris literis, non semel mentitum esse adfirmarunt. Non defuerunt quoque inter Theologos recensiores, qui asserere non dubitarunt Deum, esto nunquam fuisse mentitum, nec de potentia ordinaria mentiri posse, absoluta tamen potestate, ac de potentia extraordinaria mentiri posse contendunt. Inter eos numerantur Gabriel, Holcot, Aliacensis, Adamus, aliique.

PROPOSITIO I.

Impossibile est Deum potentia sive ordinaria, sive absoluta per se mentiri.

§. 19. Prob.: Deus est. ens infinite, et undequaque perfectum; adeoque summe, atque infinite verax; Atqui cum summa veracitate pugnat mendacium; ergo impossibile est Deum mentiri. Prob. min.: Veracitas est constans, et firma voluntas mentis conceptus, uti sunt, exprimendi: mendacium vero est falsa assertio animo fallendi (§.16.). Si ergo Deus quacunque potentia mentiri posset, esset simul verax, et non esset: esset ut supponitur, non esset autem quia mentiretur; atqui hoc est impossibile; Ergo impossibile est etc.

De-

Deinde Deus est Ens, quo nihil melius excogitari potest; Atqui si mentiri posset, excogitari posset Ens ipso melius; Ens nempe, cui repugnat mentiri; ergo etc.

Praeterea mendacium aut oritur ex ignorantia, aut ex malitia, aut ex infirmitate, Atqui Deus neque ex ignorantia mentiri potest, quia omniscius; neque ex malitia quia essentialiter bonus, neque ex infirmitate quia omnipotens; Igitur etc.

Tandem si Deus mentiri posset, merito nos formidare possemus, an fuerit aliquando mentitus, adeoque nulla foret apud nos auctoritas Scripturarum, atqui hoc est totam Religionem evertere; ergo impossibile est etc.

PROPOSITIO II.

Impossibile omnino est, Deum per alios mentiri.

§. 20. PRob.: Vulgare est effatum, qui aliquid per alium facit per seipsum facere videtur. Si ergo Deus per alium posset mentiri, mentiretur quoque per seipsum, atqui impossibile est Deum mentiri etiam de potentia absoluta (§. 19.); ergo impossibile omnino est etc. *Ad-*

Adversariorum sophismata solvuntur.

Obji. 1. contra 1. prop.: Deus est Omnipotens; ergo absolute mentiri potest, rem longe aliter, quam ipsa sit hominibus enarrando.

§. 21. ℟. conc. ant. neg. consm. Deus utique est Omnipotens, et ideo quia omnipotens nequit sibi ipsi contradicere, suae veracitati repugnare, sicque seipsum veluti destruere mentiendo. Perbelle Augustinus (a) factae objectioni satisfacit: *Deus, ait, Omnipotens est: et cum sit omnipotens mori non potest, falli non potest, mentiri non potest .... Nam si mori posset non esset Omnipotens: si mentiri, si falli: si fallere: si inique agere, non esset omnipotens, quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens*. Et recte, arguit more suo Angelicus doctor (b): *Posse namque deficere magis pertinet ad impotentiam, quia quod aliquid deficiat a suo esse, est per debilitatem virtutis propriae. Impossibile igitur est mentiri Deum, at impossibile istud*, ut ait S. Ambrosius (c) *non infirmitatis est, sed virtutis, et ma-*

 je-

(a) *Serm. 1. de Symb. ad Cathecum. cap. 1.*
(b) *Lect. 2. super cap. 2. Epist. 2. ad Timoth.*
(c) *Epist. 10.*

jestatis, *quia veritas non recipit mendacium*, *nec Dei virtus levitatis errorem*.

Contra. Atqui Deus potest absolute mentiri; ergo n. r. Prob. subs. Deus nulla lege tenetur ad rem, uti est, hominibus manifestandam; ergo saltem potentia absoluta potest mentiri.

§. 22. ℟. n. ans. et consm. Cum Deus nihil debeat creaturae, potest utique pro suo velle rem aliquam ei manifestare, vel non. At volens ei aliquid revelare, mentiri nequit, cum seipsum qui summa veritas est negare non possit.

Manichæorum objectis occurritur.

Ob. 2. contra eamdem. Deus sæpe in Scripturis mentitus est; ergo et mentiri potest: ab actu enim ad potentiam valet consequentia.

§. 23. ℟. dist. ans. Et aliunde quae in Scripturis mendacia videntur, sunt mendacia apparenter tantum, aut mysteria, conc.; sunt mendacia proprie dicta, nego ans, et consm. Multa quidem in Scripturis inveniuntur, quæ cortice tenus inspecta, mendacia videntur, veluti cum dicenti Caino: *Omnis qui invenerit me occidet me*, respondit Deus, *Nequaquam ita fiet*; cum tamen Cain a Lamech inter-

terfectus fuerit; aut sunt mysteria, veluti illud quod Jacob fecit, hortante matre, cum hædinis pellibus, manus suas contexit, ut sic videretur esse Esau, et paternam consequeretur benedictionem. Nam neque hoc, neque illud fuere mendacia. Non primum, quia vera fuit responsio Dei, et eventu probata; Cain namque timebat se occisum iri a quocumque sibi obviante, Deus promisit quod non: revera ita fuit, nam nonnisi post multos annos interfectus fuit (esto non desint etiam qui eum negent fuisse interfectum). Non secundam, quia quod fecit Jacob fuit mysterium, præfiguravit enim illum qui alienis peccatis onustus apparere voluit, ut omnibus Paternam benedictionem promereretur: Ita Augustinus lib. 10. contra mendacium. Nihil ergo adversus Dei veracitatem faciunt quæ opponuntur.

Contra: Atqui in Scripturis apparet, Deum revera mentitum fuisse; ergo nulla resp. Prob. subsm. Et ut res clarius pateat, audiatur Deus ipse apud Ezechielem (a), qui sic loquitur: *Propheta cum erraverit, et locutus fuerit verbum: ego Dominus decepi Prophetam illum*; ergo etc.

(a) *Cap.* 14.

§. 24. ℟. dist. sensum auct. : Ego Dominus decepi, absolute revelando ei falsum, eique mentiendo, nego; decepi, hoc est non obstavi, quominus deciperetur, et permisi eum decipi, concedo, et n. consm. Annuntiare infallibili eventu, quæ futura sunt, solius est Dei, qui novit abscondita a sæculis. Propheta igitur, ut vere talis sit, debet a Domino inspirari, ac mitti. Si Deus aut eum non illuminat ad futura intelligenda, aut justo judicio lumen quod dedit ab eo aufert, ille erit prophetans de corde suo, et proinde deceptor. Nunc, spiritus prophetiæ est donum gratis datum; sicuti ergo eum dat Deus quibus vult, et quando vult, ita et aufert quando sibi placet. Cum itaque Deus auferendo lumen suum, et inspirationem, Propheta errat, nec verum loquitur, hinc dicitur a Deo fuisse deceptum, non quia Deus aliquid falsum ut verum revelaverit, aut rem pro alia, sed quia subtraxit ab eo auxilium suum, quo vera nuntiaret. Non est igitur quod Deus aliquem absolute decipiat, quoties in Scriptutis Sanctis legitur aliquem decepisse, vel etiam errare fecisse, sed tantum quod decipi permittat (*a*).

CA-

(a) *Plura alia de hac materia apud Auctores inveniuntur. Legantur interim, si placet,* Antonius Boucat *Theolog. PP. Tom. IV. p.* 8. Antoinè *Theol. Univ. Tom. I. p.* 1. Henno *Tom. I. p.* 290.

Caput IV.

De veris miraculis, et num fieri possint in confirmationem falsæ doctrinæ.

§. 25. Miraculum juxta Joannem Lockium aliud non est, quam operatio sensibilis captum spectatoris excedens, quæ videtur consueto naturæ ordini contraria, unde et divina judicatur. Samuel Clarkius insignis Philosophus Anglus, miraculum ait esse effectum admirabilem adversus constantem, ac concordem causarum secundarum cursum virtute Entis intelligentis homini superioris perpetratum. Abbas de Houtteville, miraculum ait, esse eventum rarum ac stupendum, ex incognita, sed naturali legum generalium harmonia, et temperatione profluentem. Quid sentiendum sit de his definitionibus, et quam male in illis conficiendis se gesserint laudati Auctores, satis ostendit Auctor Theologicarum Institutionum Lugdunensium (a).

§. 26. Nomine legum generalium ordinis naturæ intelliguntur principia firma, certæque motuum determinationes, quæ Deus initio creationis rebus omnibus tri-

 buit,

(a) Tomo I. Dissert. II. Cap. IV.

buit, et ex quibus natura perpetuo operatur, et se se movet exacte, ut ab illis recedere minime queat. Sic ordo naturæ est, ut grave tendat deorsum; ignis calefaciat, etc.

§. 27. Hujusmodi naturæ leges, Dei nutui atque imperio subsunt, eas propterea potest Deus suspendere, immutare, quando vult, et quomodo vult. Cujus namque est leges condere, illius est etiam immutare, neque certe Deus leges naturæ condendo, ac naturæ ordinem statuendo sibi adimere libertatem voluit, aut aliqua necessitate se adstringi cum ipse sit Dominus omnium, nec habeat, aut habere possit, qui valeat ei dicere cur ita facis? Neque insuper pertimescenda est aliqua mutatio in Deo, dum naturæ ordinem immutat; quippe omnia quæ in tempore eveniunt ipsi ab æterno sunt nota; quare et ordinis naturæ immutatio nihil aliud est quam exequutio liberorum decretorum suæ peculiaris voluntatis, quæ ab æterno fixa sunt, et rata (*a*).

PRO-

(a) *Vid.* S. Thomas 1. *p.* *q.* 105. *art.* 6.

Propositio I.

Miraculum est opus sensibile, et mirabile superans vires et ordinem totius Naturæ creatæ.

§. 28. Prob.: Nam si miraculum vires aut ordinem naturæ non excederet, posset utique ab aliqua eminenti creatura fieri; adeoque character infallibilis non foret veritatis. Dæmones quippe qui summa pollent vi atque scientia, continuo miracula patrarent, sicque nos in perpetua illusione miserrime detinerent. Quod, certe permitti a Divina bonitate per quam longissime abest. Adeoque etc.

§. 29. Verum ergo miraculum est possibile, quippe in potestate Dei est opus facere quod vires, et ordinem naturæ excedat (§. 27.)

Propositio II.

Vera miracula in confirmationem falsæ doctrinæ fieri nequeunt.

§. 30. Prob.: Falsa doctrina ea est quæ, neque a Deo est revelata, neque re-

rectæ rationi est consona, sed mala, et erronea; ergo nequit per vera miracula comprobari. Prosb. cons. Vera miracula a solo Deo fieri possunt (§. 29.); si ergo miraculis falsa doctrina comprobaretur, a Deo utique comprobaretur; atqui Deus ut infinita, et summa, et prima veritas, nec mentiri (§. 19.) nec fallere potest, aut errore et falsitate delectari; igitur etc.

Objectis adversariorum occurritur.

Obj. Contra 1. prop.: Si miraculum esset opus, vires, et ordinem superans totius naturæ creatæ, numquam dignosceremus quodnam sit verum miraculum; Ergo etc. Pr. ant.: Ut dignoscere possemus aliquod opus esse verum miraculum, deberent nobis innotescere ordo, et leges, et vires omnes naturæ creatæ; Atqui hæc nobis nota non sunt; ergo si miraculum esset etc.

§. 31. R/. Ad dignoscendum verum miraculum omnino opus non est, ut vires omnes naturæ creatæ cognoscamus, sed sufficit ut sciamus ex ipso rationis lumine, communi hominum judicio, atque experientia, quædam evidentissime, vires naturales, et consuetum naturæ ordinem excedere. Ita esto ignoretmus ad quæ extendere se possit hominum in sanandis morbis

bis sagacitas, atque industria; scimus tamen morbos, atque præsertim obstinatas, ut ajunt infirmitates, solo nutu, verbis, tactu, imperio, et quidem extemplo naturaliter sanari non posse. Hæc porro vires naturæ prætergredi dignoscuntur; adeoque vera miracula sunt.

Contra: Atqui ex iis quæ ordinem naturæ excedere dignoscuntur, nequit verum miraculum definiri; ergo n. r. Pr. subs.: Virgas solo nutu in serpentes mutare; aquam in sanguinem statim convertere; ingentem ranarum multitudinem in instanti producere, certe naturæ vires, quantum nobis notum est, excedunt. Sed hæc miracula non sunt; cum a Magis etiam Pharaonis perpetrata esse legantur; ergo etc.

§. 32. ℟. conc. maj. dist. min.: Sed hæc, uti a Moyse facta fuerunt, miracula non sunt, nego min.; ut facta fuerint a Magis Pharaonis, miracula non fuerunt, conc. min.; et nego consm. Nam Magi Pharaonis, aut apparenter tantum, et per incantationes, et arcana quædam, spectra, et imagines inanes serpentium, ranarum etc. oculis intuentium objecerunt; aut si veros serpentes, verum sanguinem, verasque ranas exhibuerunt, neque illico ranas procrearunt, neque aquam in sanguinem,

aut

aut virgas in serpentes converterunt; sed dæmones aliunde verorum serpentum semina asportarunt, atque in virgas immiserunt, unde serpentes apparuerunt; nisi potius dicere velimus, virgas projectas, virtute dæmonum sublatas momento temporis, et serpentes, quorum in Ægypto ingens copia erat, in locum earum fuisse substitutos. Moyses autem non sic; nam virtute Dei veros serpentes, verasque ranas procreavit; vereque aquas in sanguinem convertit.

Obji. Contra 2. prop. Probati historici referunt, ab infidelibus, et ab hæreticis non pauca facta fuisse prodigia, et miracula; Atqui illorum falsa erat doctrina; Ergo etc.

§. 33. R/. Quæ ab historicis referuntur miracula sive ab infidelibus, sive ab hæreticis patrata, aut omnino conficta fuerunt, et ad captandam vulgi benevolentiam erga illos, quos miracula patrasse perhibebatur, aut si opera mirabilia fuerunt, vera miracula non erant, quippe vires naturæ creatæ non excedebant. Sane Livius ipse qui plura miracula a Gentilibus patrata refert, se illis fidem non habere declarat in Proemio sui Operis; idipsum faciunt Valerius Maximus, Tacitus, Plu-

Plutarchus, aliique. Quoad hæreticos; voluissent ipsi miracula patrare, at non potuerunt. Sic tentavit Lutherus, referente Genebrando, ejicere diabolum de quadam puella, at non potuit, et ab ea fere ad necem petitus fuit. Tentavit Calvinus fictum mortuum resuscitare, sed revera mortuum reddidit. Quare optime dici potest quod (*a*) ait Tertullianus : *Hæretici ex adverso Apostolos imitantur ; illi de mortuis vivos faciebant ; isti de vivis mortuos faciunt*.

Contra : Atqui vera miracula ab infidelibus patrata sunt ; ergo n. r. Prob. subin. Cæco visum restituere, mortuos suscitare, certe inter miracula primi ordinis numerantur. Atqui cæcum ab Æsculapio curatum fuisse narratur, puellam mortuam ab Apollonio Thyanæo, ut refert Philostratus, fuisse resuscitatam, et Samuelem Prophetam a Pythonissa, ut Scriptura comemorat, fuisse a mortuis evocatum ; Ergo etc.

§. 34. ℟. admissa maj. negando min. cum cons. Ac primo falsum omnino est, verum cæcum ab Æsculapio fuisse curatum, sed oculis tantum male effectum, idque ope medicaminum, ut eruditi omnes fatentur. Secundo falsa esse, atque inven-

tas,

(a) *Libro de præscriptionibus cap. 30.*

ta, quæ de Apollonio narrantur, ex eo vel maxime patet quod Philostratus ea scripsit post centum viginti, et amplius annos ex quo evenisse narrat. Deinde de puella resuscitata loquens, fatetur se dubitare num revera mortua fuerat nec ne, dum innuit, eam forte gravi lethargo fuisse oppressam. Quod vero ad Pythonissam attinet, semper disputatum est inter Patres, atque Doctores, num illa Samuelis apparitio Sauli facta, fuerit vera, vel potius ficta. Verum esto concedatur Samuelem Prophetam revera evocatum a mortuis cum Saule sermonem habuisse; quid inde? Ex Scriptura ipsa facile eruitur Samuelem non ope Pythonissæ, sed a Deo fuisse resuscitatum. Primo enim apparitio Samuelis præcessit quamcumque invocationem dæmonis; quippe statim ac Saul dixit mulieri: *Samuelem mihi suscita*; vidit ipsa Samuelem resuscitatum; Secundo: Si ob invocationem Pythonissæ Samuel apparuit, cur ipsa obstupuit, atque exclamavit timore perterrita, Deos e terra surrexisse? Tandem si ope dæmonis a Pythonissa invocati facta fuit illa Samuelis apparitio, quomodo Sauli adamussim evenerunt, quæ Samuel tunc ei prædixit? Numquid potest dæmon futura libera præ-

di-

dicere, quæ comprobantur eventu? Haud sane. Concludendum ergo etc.

Dices. Si ope dæmonis quandoque adeo mira fiunt, ut si fieri potest in errorem ipsi electi inducantur, quomodo vera mircula a falsis discerni possunt, ne decipiamur?

§. 35. Plures veri miraculi notæ assignant Patres, ac Theologi. Audiatur hic brevitatis gratia solus Seraphicus Doctor, qui (*a*) sic ait: » Possunt discerni diabolis miracula a miraculis Dei veris quatuor modis; scilicet ex parte *principalis agentis*. Nam in miraculis Dei operatur virtus potentiæ infinitæ, in miraculis diaboli, virtus creaturæ. Ex parte *ministri*, quia miracula Dei fiunt per publicam justitiam, scilicet per fidem justificantem, quæ publice prædicatur; vel signa publicæ justitiæ, ut in peccatoribus, qui per fidem aliquando sunt miracula operati. Miracula diaboli fiunt per privatos contractus, et arcana quædam, quia sic inventores artis magicæ cum dæmonibus pepigerunt. Ex parte *finis*, quia miracula Dei fiunt ad hominum utilitatem, et Dei gloriam; miracula dæmonum, et Magorum ad deceptio-

(a) 1. p. centiloq. sect. 14.

» ptionem, et fraudem. Ex parte *facti*, » quia miracula Dei sunt excellentia, ut » suscitare mortuos, illuminare cæcos, et » similia; miracula diaboli sunt vilia (*a*).

CAPUT V.

De variis Religionibus, et an in sola Christi Religione motiva credibilitatis reperiantur.

§. 36. Quatuor sunt etiamnum in Orbe existentes Religiones, quarum unaquæque sua jactitat credibilitatis motiva; nempe *Pagana*, *Judaica*, *Mahumetana*, et *Christiana*. Prima ante Christi adventum apud omnes fere Nationes late vigebat; quippe Idolis plenus erat Orbis; at modo vix apud Sinas, Japones, aliosque barbaros locum habet. Secunda a Moyse promulgata, in Judæa floruit; unde David (*b*): *Notus in Judæa Deus, in Israel ma-*

(a) *Plura de miraculis habent Auctores. Inter Recensiores legantur* Thomas Maria Carboni *de Relig. Revel. Tom. I. lib. II. q. 2. art. 2.* Simon *Tract. de Relig. lib. 2. art. 4.* Inst. Theol. Lugd. (*si licet*) *Tom. I. Diss. 2. cap. 4. art. 1.* L' Abate Bergier *Dizion. ragion. di Teol. par.* Miracolo. L'Abate Nonnotte *Dizion. Filos. della Relig. par.* miracoli.

(b) *Psal.* 75.

magnum nomen ejus; nunc autem apud Judæos quosdam, hac illac dispersos, invenitur. Tertia Mahumetem impostorem celeberrimum agnoscit auctorem. Quarta tandem a Domino Jesu Christo vero Deo et homine, in plenitudine temporis in Bethelem Judæ, ex Maria Virgine nato, fundata fuit.

§.37. Atque hæ quatuor Religiones pugnant inter se. Judaica quidem pugnat cum Christiana, quia hæc Christum advenisse fatetur, eumque colit, illa vero Christi adventum negat, nec eum veneratur. Pagana ambabus adversatur, quia pluralitatem deorum admittit, ac veri Dei essentiam destruit. Mahumetana tandem, omnes supradictas respuit, atque Deo Magno Mahumetem adnectit; unde cum omnes non possint esse simul veræ, merito controvertitur: num motiva credibilitatis in sola Christi Religione reperiantur?

PROPOSITIO I.

In Pagana Religione motiva credibilitatis non reperiuntur.

§. 38. PRob.: Et primo. Religio Pagana Religioni naturali opponitur; quippe deo-

deorum pluralitate unitatem Divinæ essentiæ destruit; fato libertatem homini adimit, ac Dei providentiam e medio tollit. Secundo non habet doctrinarum consensum; quinimo contradictionibus plena est. Modo Deum omnimoda perfectione præditum dicit, modo Deos proponit adorandos opera manuum hominum; modo virtutem prædicat sequendam, vitiaque detestanda; modo vitia ipsa commendat, et veluti veneratur in tot Divinitatibus vitiis abominandis inquinatis. Tertio sanctitate caret: Quæ namque Sanctitas in ea religione esse potest, in qua homicidia, et impudicitiæ, et innumera pene facinora contra legem ipsam naturalem adprobantur? Quarto, nullæ in ea sunt prophetiæ eventu comprobatæ; nec tandem quinto miracula. Quae namque jactitantur deorum fatidicorum oracula mere imposturae fuerunt, et fraudes aut daemonum, aut paganorum Sacerdotum; æquivoca proinde, et in omnem eventum accomodata; et miracula vel penitus conficta, vel opera fuerunt, quae vires naturæ creatæ non excedebant (§. 33.).

PRO-

Propositio II.

Religio Judaica, qualis modo est, motivis credibilitatis destituitur.

§. 39. PRob.: Religio Judaica, ut nunc est, sibi ipsi contradicit; Nam plures Prophetias de Christo habet, et credit; interim obsinatissime negat eas esse jam eventu adamussim in Jesu Christo comprobatas, cum tamen omnino innegabile sit, et evidens morali evidentia, eas omni ex parte fuisse impletas. Deinde vox Prophetarum non amplius in ea auditur, neque ulla miracula amplius in ea fiunt. Ulterius, etsi ea, pro tempore quo data fuit, pura, et Sancta erat, atque Deo accepta, adhuc tamen talis non existit, sed a Deo abrogata potius, et abolita; unde nec Templum habet, nec altare, et ejus cultores, *ut termini impietatis, et populus, cui iratus est Dominus usque in æternum* (a) hac illac per varias terræ partes profugi, atque dispersi, vivunt sine Civitate; sine Rege, sine Sacerdote. Ergo etc.

d Pro-

(a) Malachiæ 1. v. 4.

Propositio III.

Religio Mahumetana motiva credibilitatis non habet.

§. 40. PRob.: Primo quidem haec Religio, religioni naturali opponitur. Nam indifferentismum promovet, docendo unumquemque in sua religione aeternam beatitudinem consequi posse; adulterium, incestum, vitium contra naturam, et alia lege naturali prohibita, licita esse adfirmat; insuper uxorum pluralitatem concedit. Deinde sibi ipsi contradicit; dicit enim templum Caaba fuisse ab Abrahamo conditum; Mariam Virginem Christi matrem sororem Moysis fuisse; et ut alia taceam, quæ apud Thyrsum Gonzalez (a) legi possunt, videtur admittere Christi Divinitatem, et tamen vocat Christianos infideles, et Paradisum promittit iis, qui in bello adversus eos distincti fuissent. Ulterius omni specie etiam sanctitatis caret; quippe Deum credit corporeum, et omnium peccatorum causam; Angelos beatos peccare, eosque esse occidendos; luxuriam permissam esse tenet, et alia quæ honestatem dedecent

(a) *II. P. manud. ad Convers. Mahumetanorum.*

cent concedit? Sufficit dicere, non aliam fælicitatem æternam suis sectatoribus promittere, quam eam quæ sensualibus voluptatibus constat. Tandem nulla in ea sunt miracula; prophetiæ nullæ eventu comprobatæ. Quimimo ipsemet Mahumetes (a) adfirmat, se ad miracula facienda a Deo missum non fuisse. Ergo etc.

PROPOSITIO IV.

In Religione Christiana motiva credibilitatis reperiuntur.

§. 41. PRob.: Et primo, quacumque ex parte contemplatur, nihil in ea, ne jota quidem invenitur, quod sit rectæ rationi contrarium, vel aliquo modo ab ipsa alienum. Omne namque quod docet aut credendum, aut faciendum, nedum est conforme naturali religioni, sed distincta quoque explicatio ac perfectio ejus. Quod si mysteria supra rationem continet, hoc nihil rationi officit, sed est utile, quippe eam adjuvat, et ejus defectus supplet. Secundo quid in ea non rectum, non uniforme, non consentaneum reperitur? Ejus ve-

(a) *Cap.* 15. Alcorani.

veritates adeo sunt connexæ, atque inter se consentientes, ut licet a pluribus, et diversis, ac remotissimis in locis existentibus, veluti ab uno conscriptæ videantur; et adeo observari omnes, et singulæ merentur, ut qui in una deliquerit fiat omnium reus. Sanctus ejus Auctor Jesus Christus, necnon sanctitatis omnis fons et origo, quid non docet, aut proponit, quod sanctum non sit, atque ad sanctitatem consequendam non ducat? Debita officia erga Deum, erga proximum, erga seipsum homini adeo excellenter exponit, et tali mira claritate dictat, ut vel ipsi obstinatissimi ejus contradictores aut victas ei dederint manus, aut confusione cooperti abscesserint. Religio amoris, nihil aliud quam amorem docet, amorem vult, amorem præcipit, et licet plura alia videatur præcipere, tota duobus his præceptis continetur, *Dilectionis* nempe *Dei*, et *proximi*. Deinde quot Prophetiis eventu completis fundata fuit, nutrita, et usque adhuc gloriosa existit? Quot tandem miraculis, nedum confirmata, sed omni tempore illustris reddita? miraculis, inquam, veris, factis nempe nullis præsidiis, nullis medicaminibus, nulla rei cujuslibet applicatione, sed vel solo, et simplici nutu patratis, vel signo cru-

cis,

cis, idque non clanculum, aut coram paucis imperitæ plebis, sed coram omnibus publice, et in veritatis testimonium. Ergo etc.

Propositio V.

Inter omnes Religionis Christianæ Societates, sola Romana Catholica characteribus revelationis gaudet.

§. 42. Prob.: Nam in sola societate Romano Catholica, non autem in aliis observantur prænotati (§. 41.) revelationis characteres. Quippe in ipsa sola reperitur legitima Episcoporum successio, *quos* nempe *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, qui per legitimam ordinationem, non interrupta serie, ab Apostolis trahunt originem, suamque missionem a Christo factam probant; qui doctrinam proponunt ab Apostolis, et a Christo acceptam; quibus denique divinæ revelationis depositum traditum ea lege fuit, ut in eo custodiendo infallibilis Dei assistentia numquam sit defutura. Non sic autem alii Christiani qui extra Romanam societatem sunt positi. Isti namque non a Christo,

et ab Apostolis missionem suam ostendunt, sed ab hominibus obstinatis, atque obcæcatis ex Ecclesiæ Christi communione dejectis, veluti Nestorio, Eutychete, Luthero, Calvino, aliisque hujus furfuris. Insuper in aliis Societatibus prædictis puritas Christianæ doctrinæ pluribus erroribus commaculata fuit, nec inveniuntur in illis, viri omnigena sanctitate præditi, qui miraculis suam probitatem, atque vitæ integritatem comprobari a Deo mereantur, quomodo frequens est in Catholica Romana societate; Ergo etc. (*a*).

CAPUT VI.

De Divina revelatione litteris consignata, et de libris, quibus eam contineri credimus.

§. 43. DIvinam revelationem non extare

(a) De veritate Religionis Christianæ citati (§. 35. (a)) superius Auctores agunt, quibus adde Abbatem Houtteville in opere 4. volum. in 8., quod inscribitur. *La Religione Cristiana dimostrata con fatti*. Tyrsum Gonzalez, in opere inscripto: *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum parte* 1. P. Cajetanum Maria Merati in Libro cui titulus: *La Verità della Religione Cristiana e Cattolica dimostrata ne' suoi fondamenti caratteri &c.*

tare literis consignatam, omnes Athei, atque Gentiles contendunt. Hi quippe cum divinam Scripturæ Sacræ inspirationem negent, omnes illius libros humana dumtaxat industria, imo insigni fraude, atque improbitate conscriptos fuisse, calumniantur. Quod si aliquam revelationem admittunt, nolunt esse illam Christianorum. Gentiles, et Atheos sequuntur Deistæ, qui nullam Divinam revelationem cognoscunt; Judæi tandem agnoscunt quidem revelationem, eamque tuentur, sed illam solum, quæ in Veteris Testamenti libris continetur.

PROPOSITIO I.

Divina revelatio literis consignata est.

§. 44. PRob.: Divinam revelationem esse litteris consignatam, est materia facti, quæ non potest aliunde melius comprobari, quam vel auctoritate illorum, qui eam conscripserunt, vel aliorum historicorum qui fide digni sunt: Si namque quæreretur Ex: gr.; An Cicero scripserit pro Sylla, et contra Catilinam, non aliunde melius veritas illucescere posset,

quam ex testimonio historicorum, vel ex monumentis ab ipso Cicerone relictis. Atqui viri omni exceptione majores, quibus revelatio facta, et commissa fuit testantur eam literis consignatam fuisse; Ergo etc.

Prob. min.: Omnes fere Auctores librorum tam Veteris, quam Novi Testamenti fidem indubiam faciunt se res revelatas scripsisse, uti legentibus clarissime patet; igitur etc.

PROPOSITIO II.

Divina revelatio in libris tam Veteris, quam Novi Testamenti continetur.

§. 45. Prob.: Divina revelatio in libris Veteris, et Novi Testamenti continetur si doctrina quæ in illis continetur, omnes Divinæ revelationis characteres habet; Atqui revera ita est; ergo etc. Prob. min. quoad singulas ejus partes. Primus inter characteres doctrinæ revelatæ est, ut religioni naturali non opponatur; Atqui talis est doctrina quæ in Veteris, et Novi Testamenti libris continetur; Ergo etc. Revera quacumque ex parte prædicta consideratur, sive nempe quoad ea quæ pertinent ad fidem,

dem, sive ad mores, nihil umquam reperire est, quod cum recta ratione pugnet. In illa, perfecta idea Dei, ejusque attributorum et operum habetur; in illa præcepta, et consilia sunt omnimode rectæ rationi conformia; in illa jura uniuscujusque a Deo perspicue proponuntur, et explicantur, ut admirationem faciant. Ergo etc. Secundus character est mira consensio cum seipsa; Atqui hæc nullibi tam perfecte invenitur quam in illa doctrina: Etenim, perbelle Augustinus (a) de mira ista consensione Scripturarum loquens, ait: » Auctores no-
» stri, in quibus non frustra Sacrarum li-
» terarum figitur, et terminatur Canon, ab-
» sit, ut inter se aliqua ratione dissen-
» tiant. Unde non immerito cum illa scri-
» berent, eis Deum, vel per eos locutum,
» non pauci in scholis, et gymnasiis liti-
» giosis disputationibus garruli, sed in
» agris, atque urbibus cum doctis atque
» indoctis tot, tantique populi crediderunt.
» Ipsi sane pauci esse debuerunt. Neque
» enim in multitudine Philosophorum, qui
» labore etiam literario monimenta suorum
» dogmatum, reliquerunt, facile quis in-
» venerit, inter quos cuncta quæ sensere
» conveniant » Ergo etc. Tertius character

(a) *Lib.* 18. *de Civit. Dei cap.* 41.

cter Divinæ revelationis est doctrinæ puritas, atque sanctitas. Atqui talis est doctrina quæ in Veteris, et Novi Testamenti libris continetur. Quid namque in illa doctrina non sanctum, atque non purum invenitur? Quidquid præcipitur in sola charitate solidatur, adeoque non est nisi a Deo, qui ignis est, et charitas est. Quæcumque in illis scripta sunt, sanctitatem suadent, sanctitatem redundant, ad sanctitatem, et perfectionem in hac vita, ad æternam felicitatem ducunt in alia. Omnia namque in Scripturis contenta a Deo inspirata sunt, ut sint nobis ædificationi, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus; ut credamus, et bonum opus, absque intermissione facientes, vitam habeamus æternam. Ergo etc. Et quid dicam de aliis Divinæ revelationis characteribus, Prophetia nempe eventu comprobata, et miraculis? Adeo isti duo characteres, doctrinæ, quæ in Veteris, et Novi Testamenti libris continetur proprii sunt, ut merito in meridiana luce cæcutire dixeris, qui in omni fere pagina talium librorum illos non legant. Ergo etc.

Obji.: Plura in Veteris, et Novi Testamenti libris leguntur, quæ dissona sunt a recta ratione; plurima Deo indigna; et

san-

sanctitati ac puritati opposita non pauca; Sic, ex: gratia, dicitur in Genesi (*a*) Deum fecisse duo luminaria magna, Solem nempe et Lunam; cum tamen hæc sit omnium planetarum minimus. Itidem (*b*) quod pænituit Deum fecisse hominem in terra; tactumque fuisse dolore cordis intrinsecus. Necnon (*c*) Deum descendisse ut videret Civitatem Babelicam, et turrim, quam ædificabant filii Adam, quasi de Cælo aspicere non posset, aut ei aliquid novi accidisset. Ulterius dicitur Osee (*d*) dominum huic Prophetæ præcepisse, ut sumeret sibi uxorem fornicationum; et in Deuteronomio (*e*) Israelitas fœnerare posse alieno; quod quam sit turpe, et justitiæ contrarium, nemo non videt. Tandem in Novo Testamento, dicitur (*f*) Jesum finxisse se non agnoscere suam matrem, et (*g*) in nuptiis Canæ Galileæ exprobasse ei, propterea quod dixerat, *vinum non habent*; Ergo etc.

§.46. ℟. Ad singula. Et ad primum quod at-

(a) 1. *v.* 16.
(b) *Cap.* 6 *v.* 6.
(c) *Cap.* 11. *v.* 5.
(d) *Cap.* 1. *v.* 2.
(e) *Cap.* 23. *v.* 19.
(f) Marci 3. *v.* 35.
(g) Joan. IV.

attinet : nihil contra rationem scripsit Moyses, cum dixit Lunam esse luminare majus; loquebatur ille non ut Philosophus, sed ad vulgi modum, sicuti nos ipsi loqui solemus. Quia ergo oculo vulgi spectatoris Luna magna adparet inter alios planetas, luminare magnum appellavit.

Ad secundum: Loquitur ibi Scriptura modo humano. *Neque enim Deus*, ait S. Ambrosius (a) » cogitat sicut homines, ut » aliqua ei nova succedat sententia, neque » irascitur quasi mutabilis; sed ideo hæc » leguntur, ut exprimatur peccatorum » nostrorum acerbitas, quæ divinam me- » ruerit offensam: tamquam eo usque in » creverit culpa, ut etiam Deus, qui na- » turaliter non movetur aut ira, aut odio, » aut passione, provocatus videatur ad » iracundiam ».

Ad tertium: Ideo dicitur Dominum descendisse ut videret Civitatem, non quasi Deus nesciendo quod agerent filii Adam, id fecerit, sed ut exprimatur tunc Deum se patefecisse præsentem, miraculo confusionis linguarum, et videre insanam ædificationem, qui dissimulando hucusque videri poterat quasi absens, et non videre, quæ gerebantur. Scriptura namque, ait D.

(a) *Lib. de Noe, & Arca c. 4.*

D. Thomas (*a*) » de Deo loquitur quasi » de uno temporali Domino, qui de su» blimi loco suo descendit ad videndum » opera subditorum suorum ut corrigat, » et reformet quidquid est reformandum, » et corrigendum in eis ».

Ad quartum. Nihil præcipitur Osee contra jus naturale, aut contra honestatem, et puritatem. Nam Osee accipere debebat sibi in uxorem legitimo matrimonio cupulatam mulierem fornicationis, non vero abuti ea turpiter.

Ad quintum. Jure quidem naturæ prohibita est usura, Deo autem supremo rerum omnium Domino permittente, licuit Judæis fænerari alieno, idque ob duritiam cordis eorum, ne ut erant lucro nimis inhiantes, extorquerent fænus etiam a fratribus suis Judæis. Quod privilegium, abrogata Sinagoga, non amplius existit.

Ad sextum, et ultimum. His aliisque nullum argumentum conficitur adversus reverentiam, quam Matri suæ semper exhibuit Jesus Christus. Ipse namque filius quidem Mariæ erat secundum carnem; at erat filius Æterni Patris secundum Divinatem; quoties igitur vel Æterni Patris opera peragere debebat; vel aliquod opus in-

(a) *In cap. XL Genesis.*

insolitum suæ Divinitatis ostensivum, terrenam matrem non curare videbatur; sed hoc modo eam honorabat quam maxime; quippe eam esse matrem Dei non obscuris indiciis commonstrabat. Adeoque etc.
Quæres. Quinam sint libri Canonici, et Deutero-Canonici Sacræ Scripturæ?

§. 47. Libri Canonici, a *Canone*, *Regulam*, vel *Catalogum* hic significante, dicuntur illi qui ab Ecclesia in Catalogo Scripturarum Sanctarum sunt expresse relati ut Divini, et Divinæ auctoritatis. Libri vero Deutero-Canonici dicuntur illi qui non semper in Ecclesia, ut Divini habiti sunt: Sicuti Proto-Canonici appellantur, qui semper, et absque interruptione in Canone fuerunt Sacrarum Scripturarum. Libri qui ab Ecclesia Catholica ut Proto-Canonici semper habiti fuerunt, sunt sequentes ex veteri Testamento: Pentateuchus Moysis, liber Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duo, Esdræ, et Nehemiæ duo, Job, Psalterium 150. Psalmorum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, quatuor Prophetæ majores, et duodecim Prophetæ minores. Ex Novo autem Testamento, sunt: Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, et Joannis, Acta Apostolorum, omnes S. Pauli Episto-

læ,

læ, excepta ea quæ est ad Hebræos, duæ Epistolæ Canonicæ, scilicet una Petri, Joannis altera. Libri autem Deutero-Canonici, qui nempe non semper ab Ecclesia habiti fuerunt ut Canonici, sunt sequentes: Esther, Baruch, Danielis pars; nempe Hymnus trium puerorum, historia Susannæ, et historia Draconis a Daniele occisi; Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, duo Machabæorum primus et secundus, Marci, Lucæ, et Joannis partes quædam, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, secunda Petri, primæ Joannis particula, secunda, et tertia Joannis, Epistola Judæ, et Apocalypsis.

Quæres. Quot sint Canones Sacrorum librorum.

§. 48. ℟. sunt tres, 1. Nempe Judæorum, Hæreticorum; et 3. Catholicorum. Canon Catholicorum ex Tridentino (a) continet omnes libros sive Proto-Canonicos, sive Deutero-Canonicos supra (§.47.) memoratos. Canon Judæorum, qui nunc est, continet viginti duos libros, uti testatur Josephus, et sunt: quinque libri Moysis, octo libri Prophetarum, videlicet, Josue, Judicum cum Ruth; Samuelis duo velut liber unus; Regum duo velut unus, idest ter-

(a) *Sess.* 4.

tertius, et quartus, Isaiæ, Jeremiæ cum Threnis, Ezechielis, liber unus duodecim Prophetarum; Job, Davidis, Proverbiorum, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Danielis, Paralipomenon, Esdræ duo ut unus, et Esther. Canon Hæreticorum est varius pro varietate Sectarum. Nam Simoniani, Basilidiani, Marcionitæ, et Manichæi, omnes Veteris Testamenti libros respuebant. Ebion solum S. Evangelium S. Matthæi admittebat. Cerinthus solo Marci Evangelio utebatur, nec Apostolorum Acta recipiebat. Marcion Lucæ Evangelium, sed mutilum agnoscebat, rejiciebat vero, inter alias Scripturas, Pauli Epistolas ad Titum, et Timotheum. Lutherus, et Martinus Kemnitius omnes libros e Canone deleverunt, quos in antiquo Judæorum Canone non invenerunt; scilicet Baruch, Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, Sapientiam, et duos libros Machabæorum; sicuti etiam S. Pauli epistolam ad Hebræos: Epistolas Jacobi, Judæ, secundam Petri, secundam, et tertiam Joannis, et Apocalypsim. Alii alios.

CAPUT VII.

De genuitate Pentateuchi, aliorumque Librorum tum Veteris cum Novi Testamenti; de illorum integritate, atque inspiratione; deque lingua qua scripti fuerunt, et variis Scripturæ Versionibus.

§. 49. Pentateuchi nomine intelliguntur quinque priores Libri Sacræ Scripturæ Veteris Testamenti, scilicet Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, et Deuteronomium.

§. 50. Liber genuinus ille dicitur, qui revera scriptus est ab eo auctore, a quo scriptus esse dicitur.

§. 51. Ut tamen Liber genuinus, vel authenticus dicatur, requiritur, ut ab omnibus proxime, et continuata serie sequentibus eum ætatibus, talis habitus sit. Atque hoc axiomatis loco esse potest, aliter actum erit de omni Scriptura, et Historia.

§. 52. Pentateuchum non esse genuinum Moysis fœtum omnes illi adfirmarunt, qui Veteris Testamenti Libros respuerunt. Idipsum inter recensiores præstarunt Tho-

 mas

mas Hobesius, Isaac Peirerius auctor insulsi systematis Præedamitarum, Benedictus Spinoza, Riccardus Simonius, et non pauci hujus temporis scioli, et novitatis amatores.

PROPOSITIO.

Pentateuchus, omnium Librorum antiquissimus, genuinus est Moysis foetus.

§. 53. PRob.: In Veteris ac Novi Testamenti Libris Divina revelatio continetur (§.45.); Ergo hi Libri sunt divinæ, atque infallibilis auctoritatis; Atqui in illis Libris aperte asseritur Moysen auctorem fuisse Pentateuchi; Ergo etc. Prob. min. subs.: Et quoad Vetus Testamentum: In Exodo (*a*) hæc leguntur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini* (*b*): *assumensque volumen fæderis legit, audiente populo. Insuper* (*c*) *dixit* Dominus ipse Moysi: *scribe tibi verba hœc, quibus et tecum, et cum Israel* pepigi *fædus*. Item in Deuteronomio

(a) 24. v. 4.
(b) v. 7.
(c) Cap. 34 v. 27.

mio (*a*) legitur: *Scripsit itaque Moyses Legem hanc, et tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi.* Idipsum confirmant quotquot Prophetæ, atque Scriptores de Lege hominibus a Deo data mentionem faciunt, vocantes eam Legem Moysis; idque a tempore in quo Moyses vivebat per continuam successionem temporum, atque ætatum. Ita Josue; III. et IV. Regum: II. Paralipomenon, Tobias, Baruch, Daniel, Malachias etc. Quod vero attinet ad Novum Testamentum (*b*), ait Christus Sadducæis: *De mortuis autem quod resurgant, non legistis in Libro Moysis super rubum, quomodo dixerit illi Deus Ego sum etc.* (c). Cum curasset Jesus leprosum, dixit: *Vade ostende te Sacerdoti . . . sicut præcepit Moyses.* Item (*d*) cum exprobrasset discipulis cordis tarditatem in credendo, addidit: *Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Mitto cætera, solummodo,

(a) *Cap.* 31. *v.* 9.
(b) Marci XII.
(c) Lucæ V. *v.* 14.
(d) *Cap.* 24. *v.* 27.

do, reticere non valeo, adeo apud Hebræos constare Pentateuchum esse Moysis fœtum, ut ipsum *Moysen* vocabant; Actorum namque XV. (a) legitur: *Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis; ubi per omne Sabbatum legitur.* Quibus positis, en minoris probatio. Per sermones Domini, per legem, per librum, seu volumen fœderis, et legis, vel Moysis, non intelligitur, nisi Pentateuchus (non alia enim continet, nec alio nomine vocatur hic Liber); atqui constanti, et numquam interrupta traditione a Moyse, usque ad nos, et testimonio tot illustrium Scriptorum, Moyses scripsit sermones Domini, legem, præcepta etc. Ergo Moyses est Auctor Pentateuchi; adeoque etc.

Obji.: Pentateuchus non est genuinus Moysis foetus, si in eo Moyses personam quamdam tertiam, ab eo qui scribit distinctam, repræsentat; Atqui res ita se habet; ergò etc.

§. 54. ℟. neg. maj.: Novum non est quod historici sive sacri, sive prophani, in historiis ac libris conscribendis, de se, modestiæ, atque humilitatis causa, tam-

quam

(a) v. 21

quam de tertia, et quasi aliena persona loquantur.. Id namque frequens est, et veluti quædam familiaris consuetudo antiquitus tradita. Quare S. Matthæus Evangelium suum scribens, seipsum nominat quasi aliena esset persona; ait siquidem: *Vidit Jesus hominem sedentem, in telonio Matthæum nomine.* Similiter fecit S. Joannes, qui etsi in suo Evangelio (*a*) loqueretur de seipso; scribit tamen: *unus ex discipulis, quem diligebat Jesus.* Idipsum in Commentariis suis Cæsar, et Josephus in suis libris de bello Judaico fecerunt, quin tamen aliquid genuitati suorum librorum detraheretur. Esto proinde in Pentateucho loquatur auctor de Moyse, ut aliena persona, non inde deduci potest ipsum non esse ejusdem genuinum foetum; id namque fecit Moyses modestiæ, et humilitatis causa.

Contra: Atqui revera Moyses in Pentateucho personam distinctam ab eo, qui scribit repræsentat; ergo n. r. Prob. min. subs.: Numerorum XII. v. 3. laudatur Moyses tamquam vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra; et v. 7. a Domino scribitur laudatus, ut in omni domo sua fidelissimus; et quod pro-

(a) *Cap. XIII. v. 23.*

propterea ore ad os loquebatur ei; Atqui si qui scribit fuisset Moyses, et non aliena persona, non se laudasset; ergo revera etc.

§. 55. ℟. conc. maj., dist. min.: Non se laudasset propter se, et amoris proprii causa, conc.; Dei impulsu, et ad manifestanda Dei magnalia in creaturis, nego min., et consm. Cum viri sancti aliqua dona supernaturalia, gratias, et virtutes eis divinitus concessas manifestant, id faciunt divina inspiratione, pro gloria Dei, et proximorum ædificatione, ut nempe audientes quanta Deus fecerit eis, excitentur ad virtutem amplexandam, et Patrem glorificent qui est in Cælis, mirabilis in Sanctis suis, non vero propter se, et ut benevolentiam, et obsequium sibi adquirant. Ita fecit S. Job; Ita S. Paulus; et ita fecit laudatus Moyses..

Contra: Atqui Auctor Pentateuchi absolute alius est a Moyse; ergo n. r. Prob. min. subs.: Ille Auctor qui scribit mortem, et sepulturam alicujus; certe non est idem ac ille cujus mors describitur, et sepultura; hoc namque est impossibile; Atqui Auctor Pentateuchi mortem Moysis, ejusque sepulturam describit; ergo Auctor etc.

§. 56. ℟. Duæ sunt hujus argumenti solutiones. Prima est Josephi (*a*), et Philonis Judæi (*b*): Hi nempe contendunt, Moysen per anticipationem, Divino Spiritu afflante talia scripsisse; idque ne Judæi propter eximiam ejus virtutem, a Deo raptum prædicarent, ipsumque ut Numen colerent. Secunda est plurimorum Criticorum, cui non dubitamus adhærere, qui volunt, quæcumque in fine Deuteronomii narrantur de morte, et sepultura Moysis, vel a Josue, vel ab Eleazaro, vel ab Esdra, vel ab alio quocumque, qui post Babylonicam captivitatem sacros recensuit Libros, addita fuisse, ut tota completa haberetur Moysis historia, et finis Deuteronomii cum initio Josue cohæreret (*c*).

Quaeres. *Qua ratione constet reliquos Libros tum Veteris, tum Novi Testamenti genuinos esse?*

§. 57. ℟. Constat ex eo, quod ipsi per continuam, atque non interruptam omnium temporum traditionem usque ad nos tales

(a) *Lib. 4. Antiquit. Judaicarum.*

(b) *Lib. de vita Moysis.*

(c) *Multi de hac controversia pertractant: fusius vero* Boucat *Tomo IV. dissert. 2. art. 1.* Berti *Tomo X. lib. de Loc. Theol. cap. 1.* Cerboni *Tom. I. Relig. Revel. lib. III. art. 3. q. 2.; sed præ cæteris* Simon *Tract. de Relig. lib. II. Sect. 2. art. 1.*

sunt habiti. Et quod attinet ad Libros Veteris Testamenti, qui in Tridentini Canone continentur, eos in unum collectos apud Hæbreos fuisse, magna consensione et Veteres Hebræi, et Christiani tradiderunt. Quod vero spectat ad Novi Testamenti Libros, qui in eodem Tridentini Canone continentur, ii genuini habiti sunt ab omnibus sequentibus Apostolos Jesu Christi ætatibus ad nos usque, perenni consensione, uti constat ex traditione non tantum popularium omnium Christianorum, sed nobilissimorum omni aevo Scriptorum, ut videre est apud modo citatos Auctores, qui de illorum genuitate scripserunt. Nobis hic sufficit scire, omnes illos Libros ab Ecclesia Catholica, quæ falli nequit, ut genuinos adprobatos fuisse.

Quaeres. *An Libri tum Veteris tum Novi Testamenti integri, sive non corrupti ad nos pervenerint?*

§. 58. ℟. 1. Libri Veteris Testamenti quoad substantiam, sive relate ad id quod pertinet ad doctrinam, et mores, integri ad nos pervenerunt. Nam si fuissent corrupti, id accidisset vel ante, vel post Christi adventum; Atqui neque ante, neque post Christi adventum corrupti fuerunt; Ergo etc.: Prob. min. quoad utramque

par-

partem. Si Libri Veteris Testamenti ante Christi adventum fuissent corrupti, a Judæis utique, apud quos custodiebantur corruptio facta fuisset; Jam vero hoc est falsum, et moraliter impossibile, tum quia Judæi tanta religione ferebantur pro Libris Sanctis, ut malum aliud quam-maximum patrassent potius quam Verbum Dei adulterare; tum quia si vel minimum attentassent tale facimus patrare, statim eorum malitia et fraus detecta fuisset, quia, ut Actorum XV. (*a*) habetur: ab antiquis temporibus in singulis Civitatibus per omne Sabbatum in Synagoga legebantur. Ergo etc. Deinde, si Libri Veteris Testamenti ante Christum a Judæis fuissent corrupti, id certe Christum non latuisset, unde sicut et multa, ita et tam enorme facinus eis objecisset; Atqui Christus numquam hoc fecit, quinimo Judæos de sua divina missione dubitantes ad Scripturas mittit, tamquam ad infallibile testimonium, dicens (*b*) *Scrutamini Scripturas* . . . *quæ testimonium perhibent de me*; Ergo etc. Sed neque post Christum corrupti fuerunt Veteris Testamenti Libri: Nam primo, credibile non est, ait S. Augustinus (*c*) ipsos

(a) v. 21.
(b) Joan. V. v. 36.
(c) *Lib.* 13. De Civitate Dei c. 13.

ipsos idest Judæos, a Codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem. Sed esto voluissent, haud certe potuissent. Nam ultraquam-quod exemplaria authentica sacrorum Codicum religiose ac studiosissime asservabantur, innumera eorum transcripta per universum disseminata jam reperiebatur. Aliunde ex Judæis non pauci in sacra Scriptura versatissimi ad Christum conversi erant, quare impossibile erat omnia transcripta ad manus habere, et depravare; quod si aliqua corrupissent, id certe detectum fuisset a Christianis, et emendatum: Ulterius, si Judæi voluissent, et potuissent Veteris Testamenti Scripturas corrumpere, id certe fecissent circa ea quæ spectabant ad Jesum Christum. Atqui hoc factum non est; Ergo etc. Tandem, ad providentiam Dei spectabat non permittere, ut Libri illi quos dederat ad animarum salutem, et in quibus multa de Messia, et hominum redemptione verificanda continebantur, vel temporum injuria, vel Judæorum malitia, vel amanuentium imperitia, aut oscitantia corrumperentur; alias et testimonia ipsa quæ Messiam respiciunt nec firma essent, nec efficaciam haberent ad Judæos convincendos; Igitur etc.

§. 59.

§. 59. ℟. 2. Novi Testamenti Codices etiam integri sunt quoad substantiam. Etenim si depravati fuissent, id vel ab Infidelibus, vel a Catholicis, vel ab Hæreticis factum esset; Atqui non ab Infidelibus depravati sunt, quia si illi voluissent depravare Scripturas Novi Testamenti, debuissent ab eis abradere omnia illa quæ Paganismo adversantur; Quod factum non est; Non a Catholicis, quippe hanc corruptionem Infideles, atque Hæretici illis exprobrassent: non ab Hæreticis, quia statim detegebantur eorum fraudes; Ergo etc.

Quaeres. *An sacri Scriptores in sacris edendis Libris fuerint divinitus inspirati?*

§. 60. ℟. Adfirmative: Nam, teste Apostolo Paulo (a): *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc.* Et D.Petrus (b) ait: *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia* (idest Scriptura); *sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Et revera inspirante, et mandante Deo sacros Libros scripsisse passim adfirmant Moyses, et

(a) Ad Tim. II. *cap.* 3. *v.* 16.
(b) *Epist. II. cap.* 1. *v.* 20.

et Prophetæ, quoties frequens erat apud eos phrasis illa : *Hæc dicit Dominus*. Unde Zacharias in Cantico (*a*) dixit: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a sæculo sunt Prophetarum ejus* : Ergo etc.

Quaeres. *Qua ratione sacri Scriptores inspirati fuerint?*

§. 61. ℟. Admodum probabile est singulas particulas Librorum sacrorum Scriptores Sacros Deo, aut assistente, aut inspirante scripsisse. Etenim Christus (*b*) Apostolis suis os et sapientiam promittens, ait illis : *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*. Deinde Scriptura est, et communiter vocatur Verbum Dei ; atqui neque Deus per os Scriptorum locutus fuisset, neque Scriptura rite vocari posset Verbum Dei si sacri Scriptores singulas particulas sacrorum Librorum Spiritu Sancto sive assistente, sive inspirante non scripsissent ; Ergo etc. Tandem, si aliqua in sacris Libris humano spiritu scripta fuissent, cum discerni facile non posset, quid humano; quid divino spiritu scriptum fuerit, multum sacrarum Scripturarum auctoritas labe-

(a) Lucæ 1.
(b) Lucæ XXI. v. 15.

befectaretur, et ejus testimonium fidem indubiam non mereretur; Atqui hoc esset Catholicam ipsam Religionem in discrimen vocare, quod fieri nequit, quia titubabit fides si divinarum Scripturarum vacillat auctoritas, ut ait S. Augustinus (*a*); Ergo etc.

Quaeres. *Utrum sacra Scriptura divinæ sit atque infallibilis auctoritatis?*

§. 62. ℟. Adfirm.: Etenim sacra Scriptura est Divina revelatio, seu Dei Verbum litteris consignatum (§. 44.); Atqui Dei Verbum est infallibilis auctoritatis, quia Deus est summe verax, neque per se (§. 19.) aut per alium mentiri potest (§. 20.); Ergo etc. Ulterius si sacra Scriptura infallibilem non haberet auctoritatem, Jesus Christus ad eam non remisisset Judæos ut certiores redderentur de sua divina in terris missione, et vera Divinitate; Atqui ad Scripturam eos remisit dicens (*b*): *Scrutamini Scripturas, et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*; Ergo etc. (*c*).

Quaeres. *Num jure Tridentina Synodus Libros Deutero-Canonicos in Cano-*

(a) *Lib.* I. De Doctrina Christ. *cap.* 37.
(b) Joan. V. v. 39.
(c) *Leg.* Boucat *Tom. IV. diss.* I. *art.* 2.

nonem sacrarum Scripturarum retulerit?

§. 63. ℟. Adfirm.: Nam laudati Libri jam a majori parte Ecclesiæ Catholicæ, et præsertim ab Ecclesia particulari Romana, cæterarum omnium matre, et magistra uti Canonici, atque Divini habiti fuerant. Sane Libri Esther, Baruch, Danielis, Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, Judæ, secunda Petri, secunda et tertia Joannis, jam ab anno 314. in Concilio Laodiceo (*a*) in Canonem relati fuerant. Insuper Libri Tobiæ, Judith, duo Machabeorum, et Apocalypsis B. Joannis Canonici declarati fuerant in Concilio Carthaginensi III. (*b*) . Quibus anno 405. Innocentius I. (*c*) adjunxit Librum Sapientiæ; et tandem Florentinum Concilium, Anno 1458. , omnes simul complexus est » Tridentina itaque Synodus veturs» statem scrutata; et Ortodoxorum Pa» trum exempla secuta, omnes Libros, tum » Veteris, cum Novi Testamenti, cum » utriusque unus Deus sit Auctor . . . pari » pietatis affectu, et reverentia suscipit, et » veneratur (*d*) «. Adeoque jure etc.

Quae-

(a) *Can.* 59. *alias* 60.
(b) *Can.* 47.
(c) *Decr.* 27. *&* *Epist.* 3. *ad Exuperium*.
(d) *Sess.* 4 *Dec. de Canon. Script.*

Quaeres. *Qua lingua scripti fuerint Sacri Libri cum Veteris, tum Novi Testamenti?*

§. 64. ℟. Libri Veteris Testamenti Hebraico idiomate scripti fuerunt, exceptis aliquibus, quorum alii lingua Chaldaica, alii Græca exarati fuerunt. Libri autem Novi Testamenti Græca primitus editi fuere ab Apostolis, excepto Evangelio S. Matthæi, quod lingua Syriaca datus fuit, S. Pauli Epistola ad Hebræos conscripta Hebraice; et juxta aliquos Evangelium S. Marci, lingua Latina Romæ editum.

Quaeres. *Quot fuerint Sacrorum Bibliorum Versiones?*

§. 65. ℟. Multæ ab auctoribus traduntur Sacrorum Bibliorum Versiones, at præcipuæ duæ sunt, *Græca* nempe, quæ vocatur etiam *Septuaginta Interpretum*, et Latina, quæ *Vulgata* dicitur. Atque Latina insuper alia est antiqua incerti Auctoris, alia nova a S.Hieronymo data, ex quibus una conflata est, quæ *Vulgata communis* appellatur, quæque modo in Ecclesia legitur.

Quaeres. *Quare Hebraici textus Græca versio vocatur septuaginta Interpretum?*

§. 66. ℟. Ita vocatur, quia a septuagin-

ginta, vel 72. Senioribus Judæis facta fuit, jussu, vel potius postulatione Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti. Hic namque, ut Judaicis Libris suam Bibliothecam, quam Alexandriæ, conquisitis undique libris, erexerat, ditaret, septuaginta duo ex Senioribus Judæis in hebraica, et græca Lingua peritissimis adhibuit, ut hebraicum Textum in græcum verterent, quod et illi feliciter in Insula Pharos, spatio septuaginta dierum, ut ajunt, mirabili inter se consensione præstarunt.

Quaeres. *Quantæ sit auctoritatis 70. Interpretum Versio?*

§. 67. ℟. Olim fuit divinæ auctoritatis. Ea namque usi sunt Apostoli; Ea usa est Ecclesia prioribus quinque saeculis. Quare Augustinus (*a*) » Septuaginta In- » terpretum, ait, quod ad vetus Testa- » mentum attinet, excellit auctoritas, qui » jam per omnes peritiores Ecclesias tanta » præsentia Spiritus Sancti interpretati » esse dicuntur, ut os unum tot homi- » num fuerit ». An autem dicta Versio nunc eandem habeat auctoritatem, dubitatur a nonnullis, sed immerito. Nam Sixtus Papa V. loquens de ea Versione, studio, et opera Cardinalis Caraffæ anno

1580.,

(a) *Lib.* 2. De Doctrina Christ. *cap.* 75.

1580., ex vetustissimo Codice Bibliothecæ Vaticanæ editæ » *Volumus* inquit, » et sancimus ad Dei gloriam, et Ecclesiæ utilitatem, ut Vetus Graecum Testamentum juxta LXX. ita recognitum, » et expolitum, ab omnibus recipiatur, et » retineatur; quo potissimum ad Latinæ » Vulgatæ editionis, et Veterum SS. Patrum intelligentiam utantur; prohibentes, ne quis de hac nova Græca editione audeat in posterum quidquam » immutare.

Quaeres. *Qua ratione Latina Vulgata Versio a Tridentina Synodo authentica declarata sit?*

§. 68. ℟. Verbis ejusdem Concilii (*a*) » Sacrosancta Synodus considerans, non » parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ » Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, » quæ circumferuntur Sanctorum Librorum » quænam pro authentica habenda sit, » innotescat; statuit, et declarat, ut hæc » ipsa Vetus, et Vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia » probata est in publicis lectionibus, prædicationibus, et expositionibus, pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere, quovis prætextu audeat vel præsumat «.

(a) *Sess. IV. Decreto de edit. &c.*

» mat «. Utilitas itaque hujus Vulgatæ editionis, necnon ejus probata authenticitas in Ecclesia, propterea quod a tot sæculis in usu erat, rationes motivæ fuerunt, quare eam Tridentinum authenticam declaraverit. Advertendum tamen, non eo sensu talem declaratam fuisse quod debeat anteponi hebraicis, et graecis fontibus germanis; neque quod ea sit ab omnibus vel levissimis erroribus purgata: sed solum quod sit simpliciter, et absolute fidelis, et sincera in iis, quæ ad fidem, et mores spectant.

Quaeres. *Quænam sint vernaculæ Bibliorum versiones, et num jure Romana, atque Catholica Ecclesia promiscuam in linguis vulgaribus Sacræ Scripturæ lectionem interdixerit?*

§. 69. ℟. 1. Vernaculæ Bibliorum versiones illæ dicuntur, quæ in lingua vulgari, et omnibus alicujus Patriæ communi fiunt: Uti essent in Lingua italica pro Italis; in Lingua gallica pro Gallis etc.

§. 70. ℟. 2. Jure Romana, atque Catholica Ecclesia promiscuam in linguis vulgaribus sacræ Scripturæ lectionem interdixit; » Cum, experimento manifestum » sit, si Sacra (a) Biblia vulgari lingua » pas-

(a) *Reg. IV. Indic. lib. probib.*

» passim sine discrimine permitttatur, plus
» inde ob hominum temeritatem detrimen-
» ti, quam utilitatis oriri «. Revera quis est qui nesciat, hæreses, et schismata potissimum ex Scripturis male intellectis originem habuisse? Quis ignorat quam periculosum sit imperitis, atque præsertim mulieribus legere, aut audire in lingua vernacula *Cantica Canticorum*, vel illud Osee (*a*): *Sume tibi uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum*? Quæ item lapides offensionis, et petræ scandali non erunt, quæ leguntur mendacia, licet apparentia Judith, et Jacob; sicuti etiam incestum Loth, adulterium Davidis, et quod Sara, Rachel, et Lia dederunt ancillas viris suis in concubinas etc. Jure itaque etc. (*b*).

(a) *Cap.* 1.
(b) *Legatur* Franc. Henno *Tom. I. Tract.* 2. *art. V.* Ex-Charmes *Tom.* 1. *quæst. VII. art.* 4.

CAPUT VIII.

De sacrarum Scripturarum claritate, et obscuritàte; deque variis ipsarum sensibus.

§. 71. LUtherus, Brentius, aliique Novatores contendunt Sacram Scripturam obscuram non esse, sed adeo claram, ut nulla explicatione, nullo interprete, nulloque Judice indigeat qui controversias, quæ forte oriri possent circa ejus veram intelligentiam, dirimat. Contra sentiunt Catholici.

PROPOSITIO.

Sacra Scriptura non est adeo clara, et perspicua, ut sola ad omnia dogmata definienda sufficiat.

§. 72. PRob. 1. Si Sacra Scriptura esset aperta unusquisque posset eam intelligere, ejusque sensum verum assequi; Atqui hoc est omnino falsum; Etenim quis sapientior Davide, quem Deus juxta cor suum quæsivit, et qui Sacras Scripturas scru-

scrutabatur die ac nocte ? Et tamen, orans (a) ait Deo: *Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam: faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas.* Quis in Scripturarum lectione versatior quam Eunuchus Reginæ Candacis Æthiopum, qui etiam itinerando, super currum suum legebat Isajam Prophetam ? Et tamen, cum obviasset ei Philippus, atque interrogasset (b): *Putasne intelligis quæ legis* ? ingenue fassus est, absque interprete intelligere non posse; respondit namque: *Quomodo possum intelligere si non aliquis ostenderit mihi?* Quinam potuissent melius Scripturam intelligere, quam Apostoli, qui à Jesu Christo continuo audiebant sermones de rebus in Scriptura contentis, quæ vel jam eventu in dies comprobabantur, vel infallibiliter eventuræ prædicebantur ? Et tamen sæpe legitur in Evangelio (c), quod *ipsi non intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis: et non intelligebant, quæ dicebantur.* Quinimo, etsi Jesu Christi morte omnia impleta essent, quæ scripta erant de illo, et ipse

 di-

(a) *Psal.* 118. v. 126.
(b) *Actor.* 8. v. 30.
(c) Lucæ XVIII. v. 34.

dixerat sæpius eventura, nihilominus, cum a mortuis resurrexisset debuit Apostolis Jesus aperire, et revera aperuit sensum ut intelligerent Scripturas. Scriptura ergo non est adeo clara etc., ut prætendunt Hæretici, sed obscura; imo in ea, ut in Epistolis S. Pauli observavit Princeps Apostolorum (*a*) » sunt quædam difficilia intelle- » ctu, quæ indocti et instabiles depravant. Sed quid plura si Lutherus ipse hanc tandem cognoverit, et fassus sit Divinæ Scripturæ obscuritatem? *Scio*, enim, scribit (*b*) *esse impudentissime temeritatis, eum qui audeat profiteri unum Scripturæ Librum a se in omnibus partibus intellectum.*

Adversariorum objecta solvuntur.

Objic.: Ex Scripturis. Deuteronomii cap. 30. legitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie non supra te est . . . sed juxta te est sermo valde, in ore, et corde tuo, ut facias illum*; Ergo etc.

§. 73. ℟. Laudatum Scripturæ testimonium nihil contra expositam propositionem facit, quippe non loquitur ibi de intelligentia totius Sanctæ Scripturæ, et de ob-

(a) *Epist. II. cap. 3. v. 16.*
(b) *Trafat. in Psalmos.*

observantia omnium mandatorum quæ, in ea continentur, sed de præceptis, et cæremoniis solum Legis Mosaicæ, ut versu antecedenti fit clarum, ubi legitur: *Si custodieris præcepta ejus, et cæremonias, quæ in hac lege conscripta sunt.* Nec mirum; nam cum præcepta Decalogi pertineant potissimum ad Legem naturæ, quæ cordibus omnium insculpta est, facilem habent intelligentiam. Licet nec omnia in Decalogo contenta facile intellectu dicenda sint; quippe sunt ibi etiam præcepta quædam supernaturalia, quæ sine gratiæ auxilio nec intelligi, nec observari queunt.

Contra: Atqui non ea solum quæ in in Decalogo continentur, sed omnia quæ in tota Scriptura habentur clara sunt, et facilia intellectu; ergo n. r. Prob. subs.: Sacra Scriptura non raro dicitur *lumen*, *lucerna lucens*, juxta illud Davidis (a): *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, et alibi (b): *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; Atqui lumen, lucerna illuminans indicant claritatem; Ergo non solum etc.

§. 74. R/. Luminis, lucernæ, ac lucis no-

(a) Psal. 18.
(b) Psal. 118.

mine Sacram Scripturam designari, nescio an sit qui audeat denegare. At qua ratione? Forsitan quia ita est clara, ut nulla egeat interpretatione, et sola sufficiat ad fidei dogmata definienda? Minime quidem; sed quia ubi ope Divini luminis, Traditionis et Ecclesiæ est intellecta, atque explicata, mentem illustrat.

Contra: Atqui Scriptura ideo comparatur lucernæ, quia clara est, et interpretatione non indiget; ergo nulla r. Prob. subs.: Si aliqua res obscura foret in Sacra Scriptura, ea certe esset Prophetia, vel propheticus sermo; Atqui propheticus sermo dicitur *lucerna lucens* juxta illud S. Petri (*a*): ***Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, tamquam lucernæ lucenti in caliginoso loco***; Ergo etc.

§. 75. ℟. Laudato in loco nihil aliud innuere vult S. Petrus, quam differentiam inter veterem, et novam Legem, quod hæc nempe sit clarior illa, et prophetiis ipsis firmior; Nam Lex vetus præfigurabat Christum, Nova autem Christum, et veritatem præsentem habet. In illa omnia in umbra, et figuris contingebant Judæis, in ista lux Evangelica omnes expulit tenebras, et veritas

(a) II. Petri *cap.* 1. *v.* 19.

ritas elucescit; jure itaque eo in sensu ait, fidem Christianam prophetico sermone firmiorem esse, non vero quod propheticus sermo esset et ipse clarus (quis namque nescit esse obscurum?). Id confirmat idem Apostolus sequentibus his verbis: *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Quibus; duo supponere videtur, tamquam inconcussa; primum videlicet, quod omnis prophetia Scripturæ indiget interpretatione: Secundum; quod hæc interpetratio fieri non debet *proprio acumine, et ingenio naturali et humano, proprio sensu, privata doctina, vel auctoritate*; ut ait Tirinus (*a*).

Quæres. *Quotuplex sit Sacræ Scripturæ sensus?*

§. 76. ℟. Duplex principaliter est sensus Sacræ Scripturæ; *litteralis* nempe, seu historicus, et *Mysticus*; id namque videtur significari Libro illo tum Ezechieli (*b*) tum Joanni ostenso (*c*): qui nempe *erat scriptus intus et foris. Sensus litteralis* est ille, qui immediate significatur per verba sive proprie, sive metapho-

(a) *In hunc locum: Legatur Berti lib. XXIII. de Theol. disc. cap. 3.*

(b) *Cap. II.*

(c) *Apocal. cap. V.*

phorice accepta. *Sensus mysticus* est ille, qui non immediate per verba, sed per res ipsas verbis significatas indicatur: Sic vox *aqua* in Sacra Scriptura litteraliter, significat elementum, veluti cum dicitur Genesis (*a*): *Congregentur aquæ*. Spiritualiter vero tribulationes, et angustias vitæ præsentis, veluti cum dicit David (*b*) *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*.

Quæres. *Quotuplex sit sensus litteralis Sacræ Scripturæ?*

§. 77. ℟. Duplex est, *proprius* nempe, et *Metaphoricus*. Prior est ille, quem verba proprie eccepta immediate significant. Posterior vero est ille, qui per verba figurate accepta, immediate significatur. Ita vox *Leo* in sensu litterali proprio significat leonem, uti Judicum XIV. 6., in sensu autem litterali Metaphorico significat Christum ob suam fortitudinem, velut in Apocalypsi (*c*).

Quaeres. *Quotuplex sit sensus Mysticus Sacræ Scripturæ?*

§. 78. ℟. Triplex est, *Allegoricus* nempe, *Tropologicus*, et *Anagogicus*. Allego-

(a) *Gen. cap.* 1. *v.* 9.
(b) *Psal.* 68. *v.* 1.
(c) *Apocal. Cap. V. v.* 5.

goricus est, dum verba ultra Sensum litteralem significant aliquid pertinens ad fidem, aut Ecclesiam militantem; Tropologicus est, dum ultra Sensum litteralem important aliquid ad morum instructionem pertinens; Anagogicus tandem est, dum praeter Sensum litteralem important aliquid spectans ad Beatitudinem, vel Ecclesiam triumphantem. Quatuor ergo generaliter loquendo, sunt Sacrae Scripturae sensus, qui quatuor etiam Ecclesiae Doctoribus tribuuntur; 1. Litteralis, qui est de rebus gestis S. Hieronymo; 2. Allegoricus, qui est de credendis S. Ambrosio; Tropologicus, qui est de faciendis S. Gregorio; Anagogicus tandem qui est de sperandis, S. Augustino tribuitur. Omnes hi Sensus hoc vulgari disticho indicari solent.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas Anagogia.

Quamvis vero in tota Sacra Scriptura Sensus literalis semper inveniatur; non semper tamen adest in quolibet Textu Sensus mysticus; Nam ut loquitur S. Epiphanius (*a*): *Non omnia habent verba Di-*

(a) *Lib. II. Haresi 61.*

vina opus allegoria, sed prout se habent accipienda sunt. Fatendum nihilominus est sub uno, eodemque Textu, ac sub una littera plures, imo omnes quatuor Sensus quandoque reperiri. Ita in hac sola voce *Hierusalem*, omnes quatuor Sensus esse, docuit Beda (*a*). Siquidem litteraliter significat *Civitatem Judeæ*; Spiritualiter, vel mystice, significat *animam fidelem*; Allegorice sumitur pro *Ecclesia militante*, et Anagogice pro *Ecclesia triumphante*.

Quæres. *Præter usque modo laudatos, datur ne alius Scripturæ Sensus?*

§.79. ℟. Affirmative: Nam datur Sensus Accomodatitius; *ille* nempe, quo ea quæ litterali, aut mystico Sensu, alia occasione dicuntur in Scriptura, per quamdam extensionem, ac similitudinem ad aliquid aliud applicantur, veluti cum cuilibet Confessori Pontifici adaptat Ecclesia quod de Abraham legitur (*b*): *Non est inventus similis illi etc.* Hic sensus est frequens apud Sanctos Patres, et semper fere a Sacris Concionatoribus adhibetur, attamen auctoritatem divinam non habet, nec propterea potest ex eo desumi argumentum ad

(a) *Lib. de Topic. S. Scrip.*
(b) *Eccl.* 44.

ad fidei, et morum dogmata probanda, quippe qui nec mediate, nec immediate a Spiritu Sancto sit intentus. Quinimo Theologorum doctrina est, nonnisi ex solo Sensu litterali Sacræ Scripturæ posse Theologiam sua certa dogmata, et argumenta deducere, non autem a Sensu mystico, nisi aut ab Ecclesia proponatur, aut Scripturæ, et Traditionis auctoritate nitatur, aut ex ipsa Textus sacri serie certo colligatur, sicuti observat ex-Charmes (*a*). Siquidem, ut optime ait D. Hieronymus (*b*): *Numquam parabolæ, et dubia enigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere*.

Quæres, *Ad quem spectet tradere verum, atque germanum Sacræ Scripturæ Sensum?*

§. 80. ℟. 1. Hæretici qui volunt Scripturam esse claram, contendunt quoque eam interpretem sui ipsius, vel privatum cujusque Spiritum seu inspirationem esse judicem Sensus illius; Ita Lutherus, Calvinus, Kemnitius, et Anabaptistæ. At Catholici omnes tuentur neque Scripturam ipsam, neque Spiritum privatum cujusque, sed solam Catholicam Romanam Ecclesiam de-

(a) *Tom. I. q. 8. art. 2.*
(b) *In Cap. III. Matth.*

debere tradere verum, atque germanum Scripturæ Sensum.

Et quod ad ipsam Scripturam attinet, nemini dubium (si Hæreticos excipias) esse potest, eam in multis locis esse obscurissimam, quomodo ergo ipsa tradere nobis potest summet ipsius verum Sensum? Si ob ejus obcuritatem frequenter oriuntur quæstiones de ejus recta intelligentia, alius certe extra eam sit oportet, qui eas dirimat.

Quod vero spectat ad spiritum privatum, hoc est impossibile. Nam vel iste privatus Spiritus est Spiritus Sanctus, vel spiritus cujusque proprius. Primus non est. Nam contradictoria, et sibi invicem pugnantia, quæ Hæretici tamquam oracula ex Scripturis deprompta profitentur, a Spiritu Sancto, qui est spiritus omnis veritatis, procedere non possunt. Secundus non est, quippe a Spiritu Sancto monemur auditum ei prohibere, quia spiritus mendacii est; Ait siquidem (a): *Nolite audire Prophetas, qui loquuntur de corde suo*; Nam (b): *Omnis prophetia Scripturæ divinitus inspirata propria interpretatione non fit.*

Re-

(a) Jerem. Cap. 23.
(b) II. Petri Cap. I. v. 20.

Restat, ergo ad solam Sanctam Ecclesiam Catholicam spectare verum, ac germanum Sacræ Scripturæ Sensum tradere; Atque ita definitum est in Concilio Tridentino (*a*); Unde Augustinus ad hujus veritatis confirmationem: *Tunc* inquit (*b*), *Scripturarum a nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsa Scripturarum commendat auctoritas* (*c*).

TRA-

(a) *Sess. IV.*

(b) *Contra Cresconium cap.* 33.

(c) *Legantur* Ivenin *Tomo I. diss. IV. art.*5. Antoine *Theol. Dogm. Tom. I. Sect. IV. cap.* 3. *art.* 9. *Pro toto autem Tractatu, præter citat. Auct.*, Claudii Frassen *Disquisit. Biblicæ*.

De Traditionibus, sive de Verbo Dei tradito.

REvelatæ a Deo doctrinæ, sive Verbo Dei scripto proxime succedit Divina Traditio, velut altera Fidei nostrae infallibilis regula; ut nempe quod ex Scripturis credendum erui non potest, Traditione inconcussum habeatur. Cum ergo in Ecclesia Catholica, multa sint Dogmata, nonnisi Divina Traditione firmata; cumque Hæretici permulti adversus has Traditiones decertent acerrime, in hoc Tractatu (quod breviter absolvetur) Traditionis naturam, existentiam, atque regulas dilucide expendemus.

CAPUT I.

De natura, et divisione Traditionis.

§. 81. TRaditio late sumpta est omnis doctrina ab uno alteri communicata sive scripto, sive voce; stricte autem; *est doctrina ad Religionem spectans, non scripto, sed sola voce tradita ab ejus au-*

auctore; quæque *propterea in nullo Libro Canonico reperitur*.

§. 82. Porro multiplicis generis sunt Traditiones: Divinæ nempe, atque humanæ. Traditiones Divinæ sunt illæ quæ vel a Deo, vel a Jesu Christo habent originem; humanæ vero, quæ ab hominibus. Deinde aliæ sunt Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. Apostolicæ sunt illæ, quæ ab Apostolis ad nos usque continuata serie pervenerunt; Atque hæ quidem aliæ dici possunt Divinæ-Apostolicæ, quia Deum recognoscunt auctorem, sed eas Ecclesia per Apostolos accepit; Aliæ Apostolicæ-humanæ, et sunt illæ quæ Apostolos auctores immediate cognoscunt (*a*). Traditiones Ecclesiasticæ sunt illæ, quæ post Apostolorum tempora, ab Ecclesiæ Proceribus, accedente fidelium consuetudine, introductæ fuerunt, et adhuc perseverant. Sunt et aliæ Traditionum divisiones, sed quia ad rem non faciunt, omittuntur.

§.83. Ex his facile erit percipere quaenam Traditiones fidem indubiam faciant, et a quibus Theologia suas de Fide elicere possit Conclusiones; Traditiones nempe Divinae, vel Apostolicae-Divinae. Cum namque istae Deum immediate cognoscant

(a) Antoine *Tom. I. Theol. Univ. pag.* 64. *n. III*.

auctorem, profecto infallibilis sunt auctoritatis. Quare de his solum erit sermo.

§. 84. Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Socinus, Arianos, Macedonianos, Eutychianos, Pelagianos, et Donatistas secuti, nullam Divinam Traditionem admittunt, quippe qui solam sacram Scripturam regulam nostrae Fidei esse tuentur. Catholici autem e contra Traditiones divinas admittunt, easque tamquam alteram Fidei regulam, recognoscunt ex Tridentina Synodo, quae (*a*) ait: » Perspiciens (Sy» nodus) hanc veritatem, et disciplinam » contineri in Libris scriptis, et sine scri» pto Traditionibus, quae ipsius Christi » ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis » Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi » per manus traditae, ad nos usque per» venerunt, Orthodoxorum Patrum exempla » secuta, omnes Libros tam Veteris, quam » Novi Testamenti, cum utriusquê unus » Deus sit auctor; nec non Traditiones » ipsas tum ad Fidem, tum ad mores per» tinentes, tamquam vel oretenus a Chri» sto, vel a Spiritu Sancto dictatas, et » continua successione in Ecclesia Catho» lica conservatas, pari pietatis affectu ac » reverentia suscipit, et veneratur «.

§. 85.

(a) *Sess. IV.*

§. 85. Controversia ergo inter nos, et Novatores haec est; quod nos praeter sacram Scripturam, admittimus Divinas Traditiones, ut infallibilis auctoritatis ad conclusiones Fidei, et morum adstruendas, Novatores vero nullas recognoscunt.

Caput II.

De Traditionum existentia.

§. 86. Divinas Traditiones in statu Legis naturae, et scriptae extasse nulli dubium esse puto. Cum namque homini ad suum assequendum ultimum finem necessaria sit Doctrina revelata (§. 4.); cumque haec in statu Legis naturae nullibi scripta legatur, consequens est quod fuerit tradita; adeoque etc. Ulterius in Lege scripta, praeter sacram Scripturam, jubebantur Judaei, Patres quoque suos interrogare, ut circa Fidem, et mores instruerentur; *Non te praetereat*, ait Ecclesiasticus (*a*) *narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis*; et Regius Psaltes (*b*) ait, se loqui: *Quanta*

(a) *Ecclesiast. Cap. VIII. v. 1.*
(b) *Psal. 77.*

ta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera, filii qui nascentur, et exurgent, et narrabunt ea filiis suis ut ponant in Deo spem suam. Revera multa Judaei ex sola Traditione habebant; veluti divinitatem Librorum in Canone adscriptorum, remedium ad expiandum originale peccatum non solum in femellis, sed etiam in masculis ante diem octavum decedentibus, etc.: Sed non solum in Lege naturae, et scripta Traditiones fuerunt, verum etiam et in ipsa Lege Evangelica in primordio suae promulgationis. Nam per plures annos a morte Christi nulla extitit Scriptura Canonica; adeoque fideles tunc sola Traditione utebantur, quam ab Apostolis audierant; et non alia quam Traditio erat eis regula infallibilis Fidei, et morum. Quod itaque controvertitur, est: an posita Scriptura Novi Testamenti, debeant quoque recognosci, et admitti Traditiones Divinae, quae sint ejusdem auctoritatis ac Scriptura.

Propositio.

Præter sacram Scripturam admittendæ sunt divinæ Traditiones, tamquam altera Fidei nostræ Regula.

§. 87. Probatur 1. pars ex Scripturis. Apostolus ad Corinthios scribens, gratulatur eis, quod Traditiones, et praecepta, quae ab ipso acceperant, summo studio memoria tenerent, et opere praestarent; ait siquidem (*a*). *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicuti tradidi vobis præcepta mea tenetis*; Et ad Thessalonicenses scribens (*b*), ait: *Itaque fratres, state, et tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram. Hinc patet*, verbis utor D. Chrisostomi (*c*), *quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli, sed multa etiam sine litteris*; adeoque admittendae etc.

Prob. eadem pars Sanctorum Patrum testimoniis: S. Dionysius (*d*) scribit: *A-*

(a) *Epist. I. ad Corinth. Cap. XI.*
(b) *Epist. II. Cap. II.*
(c) *Hom. IV. in Epist. ad Thessal.*
(d) *Lib. I. de Eccl. Hierarch.*

postoli summa illa, et supersubstantialia partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt: S. Epiphanius non aliter dicit: *Oportet autem* (hæc sunt ejus verba (a) *et Traditione uti; non enim omnia a divina Scriptura possunt accipi: quapropter aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione Sancti Apostoli tradiderunt.* Quid clarius? sed non absimiliter caeteri Ecclesiae Patres loquuntnr; adeoque etc.

§. 88. Prob. 2. pars. Traditiones divinae sunt a Deo immediate concessae, sunt nempe Verbum Dei non scriptum (§.82.); sed Verbum Dei infallibilem auctoritatem habet; non enim Verbum Dei est infallibile quia scriptum, sed quia Verbum Dei, qui fallere, et falli nequit (§.19.), et potius Coelum, et terra transibunt, quam verba ejus praeteribunt (*b*); Ergo Divinae Traditiones sunt altera Fidei nostrae Regula.

Idipsum confirmant Patres. Pro omnibus audiantur S. Basilius, et S. Joannes Chrisostomus. Hic namque postquam ex verbis D. Pauli supra (§.87.) relatis conclusit, Apostolos non omnia per Epi-

(a) *Heresi 6.*
(b) *Matth. XXIV. v. 35.*

Epistolam tradidisse, *sed multa etiam sine litteris*, subjungit: *Eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista*. Ille vero (*a*) ita scribit; *Dogmata quæ in Ecclesia servantur et prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione ad nos delata in mysterio recepimus. Quæ utraque eamdem ad pietatem vim habet, et nemo his contradicit*; Ergo etc.

Argumenta opposita solvuntur.

Objic. Traditio est Verbum sacrae Scripturae adjunctum; atqui divino praecepto tenemur, nihil addere Verbo Dei scripto, juxta illud Deuteronomii (*b*): *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*; Ergo praeter etc. admittenda non est Traditio.

§. 89. ℟. dist. maj. Traditio etc. est Verbum divinum sacrae Scripturae adjunctum, conc. maj. est verbum, propria voluntate, ac ingenio sacrae Scripturae etc. n. maj.; et dist. min. Atqui divino etc. quod sit propriæ mentis inventum, et contrarium verbo Dei scripto, concedo; quod sit ipsum verbum Dei, n. min. cum cons. Laudatum testimonium nihil ad-

 ver-

(a) *De Spiritu Sancto cap. 27.*
(b) *Cap. IV. v. 2.*

versus Traditiones concludit. Cum namque Traditio sit verbum Divinum non secus ac Scriptura, nihil sane Catholici verbo Dei addunt eam admittendo. Caeterum dicere possumus, testimonium illud probare potius, quam labefactare nostram Thesim. Nam de verbo tradito, non scripto dicitur, quod nulla ei fieri debeat additio; Legitur siquidem: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*, non quod vobis scribo.

Contra. Atqui nulla prorsus additio verbo Dei scripto fieri potest; ergo n. r: Prob. min. subs. Res ita se habet si omnia quae ad Fidem, et mores, adeoque ad aeternam felicitatem consequendam sufficiunt, in Scripturis continentur; Atqui revera ad id sufficiunt quae in Scripturis continentur, dicente Joanne (a). *Multa Dominum Christum dixisse et fecisse, quæ scripta non sunt; electa autem sunt*, ait Augustinus (b) *quæ scriberentur, quæ saluti credentium sufficere videbantur*; ergo etc.

§. 90. ℟. dist. min. Atqui etc. et ibi loquitur Joannes de signis tantum, atque prodigiis á Jesu Christo patratis, concedo,

(a) *Cap. XF. v. 20.*
(b) *Tract. 49. in Joan.*

do; de omnibus, quae ad Fidem et mores pertinebant, nego min. et cons. Opus certe non erat Joanni plura scribere de signis, quae fecerat Jesus Christus coram discipulis, ut homines inducerentur ad agnoscendum eum verum Deum hominem; fecerat enim tam magna, et tanta, ut fidem ei denegare portentum obstinatae voluntatis fuisset. Et de his loquitur, ut patet ex textu ubi legitur: *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus . . . . quae non sunt scripta in libro hoc*; non autem quod omnia scripsisset, quae ad Fidem, et mores pertinent, ita sufficientia ad salutem consequendam, ut nihil amplius scribere opus fuisset.

Contra. Atqui sola Scriptura sine ulla Traditione sufficit ad ea quae Fidei, et morum sunt hominibus manifestanda; ergo n. r. Prob. sub. Apostolus ad Timotheum scribens (*a*) ait: *Omnis Scriptura divinitus* ***inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus***. Ergo sola Scriptura etc.

§. 91. ℟. Laudato testimonio non respuit Paulus divinas Traditiones sed po-est

(a) *II. ad Timoth. Cap. III. v. 16.*

tius adprobat. Si namque omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est, cum Scriptura, ipsomet docente, Traditiones tenere jubeat (*a*), Traditiones utique tenendae sunt. Deinde sedulo distinguendum est inter utile, et sufficiens. Est quippe utile infirmo abstinentia ab aliquibus cibis, at non sufficiens ut convalescat; utilis est Fides, imo necessaria ad justificationem, attamen sola sine operibus insufficiens est, imo mortua. Ita ex Apostolo omnis Scriptura est utilis, sed non sufficiens. Etenim si sufficiens, nedum Traditio, sed multi alii Libri Canonici; puta Evangelium S. Joannis, Apocalypsin, ejusque Epistolae, quae quando talia scripsit Paulus ad Timotheum non extabant, rejici debuissent, veluti inutiles; quod nemo unquam dixerit (*b*).

(a) *Ad Thessal. Epist. II. Cap. II.*

(b) *De Tradit. vide* Boucat *Tomo IV. Dist. unica.* Antoine *Tomo I. Tract. I. art.2.* Berti *Lib. XXIII. Cap.* 5. Ivenin *Tomo I. Diss. IV. q.* 2. *etc.*

Caput III.

De certis Regulis, quibus Divina Traditio ab humana secernitur.

§. 92. CUm Haeretici inter alia quae afferunt, ut omnem Traditionem e medio tollant, illud vel praecipuum sit, quod non valeamus distinguere veras a falsis Traditionibus, Divinas ab humanis, opere pretium erit, quasdam hic adsignare certas Regulas, queis Divinae ab humanis Traditionibus secerni possunt. Unde sit.

Propositio

Dantur certae Regulae, quibus Divina Traditio ab humana secernitur.

§. 93. PRob. multae a Theologis adsignantur Regulae quibus Traditiones Divinae ab humanis discernuntur. Placet cum Bellarmino (*a*) quinque adnotare.

I. Itaque Regula est: *Quando Ecclesia universa tenet aliquid de fide, quod*

(a) *Tomo I. lib. IV. de verbo Dei c. 9.*

quod in sacra Scriptura non invenitur, Traditio est Divina; Nam cum Ecclesia Universa nequeat errare, est quippe *columna, et firmamentum veritatis* (*a*); nequit aliquid de fide certum universaliter tenere, quod a Deo revelatum non est.

II. Regula est: *Quod a solo Deo institui potest, et ab universa Ecclesia observatur, nec tamen in Canonicis Scripturis reperitur, est Traditionis Divinae*. Cum namque Ecclesia Catholica non minus in iis, quae ad Fidem, quam quae ad cultum Dei pertinent, errare non possit, si in ipsa aliquid semper observatum conspicimus quod non ab alio, quam a Deo institui poterat, illud ex Traditione Divina habuisse fatendum est.

III. Regula est: *Quod semper et constanter observatum est in Ecclesia, ita ut non possit adsignari ejus origo, neque institutionis initium, id proculdubio est ex Traditione Divina*. Impossibile namque est ut aliquid sit ex humana Traditione, et semper, et constanter sit ab Ecclesia toto terrarum orbe diffusa, observatum; *Ecquid namque*, ait Tertullia-

(a) *I. ad Timoth. Cap. 3.*

lianus (*a*) *verisimile est*, *ut tot ac tantae in unam fidem erraverint*? Quinimo, inquit Vincentius Lirinensis (*b*): *In ipsa Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.*

IV. Regula est: *Quod omnes Ecclesiæ Doctores, vel seorsim scribentes, vel in Concilio Generali congregati asserunt unanimiter esse ex Traditione Divina, tale est.*

V. Regula tandem est: *Quod in Ecclesiis, in quibus probatur integra, et continuata successio ab Apostolis per Episcopos Orthodoxos, semper habitum est ab Apostolis traditum esse, ita est.* Nam sufficienter constat in illis Ecclesiis Apostolicas Traditiones puras, atque integras conservari (*c*).

CA-

(a) *Lib. de Præsc.*

(b) *Commonit. Cap.* 2.

(c) *Vide* Antoinè *Tomo I. Tract. I. art.* 2. Berti *aliasq. ut supra.*

CAPUT IV.

De Jejunio Quadragesimali, sive antepaschali; et an ex Apostolica ordinatione institutum, atque præceptum esse ex Traditione invicte demonstretur.

§. 94. Jejunium Quadragesimale nihil aliud est, communi omnium sententia, quam religiosa quædam abstinentia in Ecclesia ab immemorabili tempore, ab Apostolorum nempe ætate recepta, et non interrupta temporum successione ad nos usque producta, et rite observata per dies quadraginta, adjunctum habens ciborum delectum, et alia virtutum, et poenitentiæ opera insinuans.

§. 95. Hoc Quadragesimale jejunium etsi omni ævo a fidelibus fuerit diligentissime observatum, neque in Evangelio tamen, neque in aliis scriptis Apostolorum invenitur aut institutum, aut præceptum, quod et jam Augustinus animadverterat (*a*); unde et scripsit: *Quibus diebus non oporteat jejunare, et quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non in-*

(*a*) *Epist.* 36.

invenio definitum. Quare Heterodoxi, qui Divinas Traditiones rejiciunt, illud veluti superstitiosum inventum rident; necnon mirantur tam crassam hallucinationem hominibus acuti judicii obrepere potuisse, ut crederent, tali jejunio obsequium præstare Deo. Ita Calvinus (*a*), et Lutherus cum suis sectatoribus. Sed immerito (*b*).

PROPOSITIO

Jejunium Quadragesimale ex Apostolica ordinatione institutum, atque præceptum esse, ex Traditione invicte demonstratur.

§. 96. Probatur. Quod universa tenet Ecclesia, ait S. Augustinus (*c*), nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur; Atqui Quadragesimalis jejunii institutio neque in Scripturis, neque in Conciliis primum facta

(a) *Lib. IV. Instit. Cap.* 12 § 29.

(b) *Vide* Concina *Theolog. Christ. T. V. Dissert. I. de Jejunio Cap. V.* Honorati Tournely Continuat. *Tomo III. de II. Eccl. præc. Cap. II.*

(c) *Lib. IV. de Baptismate contra donatistas cap.* 24.

cta legitur; ergo illius origo ab Apostolis repetenda est. Et sane primum Generale Concilium quod Ecclesia celebravit fuit Nicænum I. An. D. 327. Jam vero tunc vigebat jejunium Quadragesimale, quippe de eo fit mentio Canone V. his verbis: *Concilia vero celebrentur, unum quidem ante Quadragesimam Paschæ* etc. Ergo tale jejunium non fuit in aliquo Concilio institutum. Deinde Origenes viris Apostolicis proximus (*a*) hujus jejunii existentiam sua ætate expressis verbis docet; *Habemus, inquiens, Quadragesimæ dies jejunio consecratos*. Idipsum alii Patres passim adfirmant. Cum ergo jejunium Quadragesimale antiquissimum sit in Ecclesia, nec tamen ab aliquo Concilio institutum inveniatur, imo sit omni Concilio anterior, remanet quod etc.

Quæres. Quænam ex Divina Traditione accepta dogmata sint.

§. 97. ℟. Multa ex Traditione Divina hauriuntur dogmata sive ad Fidem, sive ad mores spectantia. Principaliora quæ ad Fidem spectant sunt, intemerata semper Virginitas Matris Dei Mariæ; numerus septenarius Sacramentorum, et quæ ad materiam, et formam Sacramentorum spe-

(a) *Tom. X. in Levit.*

spectant; Baptismi validitas vel pueris, vel ab Hæreticis collati; descensus Christi ad inferos, et Consubstantialitas. Inter alia vero quæ pertinent ad mores, numerari potest diei Dominici, ac Paschatis institutio, necnon Quadragesimale jejunium. Et hæc satis de Traditione.

TRACTATUS III.

De vera Christi Ecclesia.

BEne habet adversus Heterodoxos Divinæ Traditionis existentiam, atque necessitatem statuisse; at quo tandem Fidei Catholicæ bono si nulla alia regula sit, quæ controversias, pro temporum opportunitate dirimat? Scriptura in se clara in omnibus non est (§. 72.), nec sola ad omnes Fidei controversias finiendas est sufficiens regula. Traditio Divina est quidem altera Fidei nostræ regula, ubi deest Scriptura, at de se sola non dignoscitur Divina sit ne, an humana; unde et regulis indiget, ut divina, et ideo infallibilis admittatur; alia igitur regula infallibili opus est, et quidem quæ sit viva, ut Catholica Religio constabilita maneat usque ad consumationem sæculi. Et quidem Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, hanc regulam vivam, infallibilem, columnam, et veritatis firmamentum dedit; et hæc est Ecclesia; De qua in præsenti Tractatu agentes, ejus naturam, characteres, proprietates, et membra explanabimus.

Caput I.

De nomine, ac vera definitione Ecclesiæ.

§. 98. Ecclesia secundum nomen, quod a græco derivatum, significat *evocationem*, vel *convocationem*, aut etiam *congregationem*, nihil aliud est quam: *multitudo hominum in unum consensientium*. Unde in bonam, et malam partem accipi potest; in bonam, ut cum dicitur (*a*): *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*; in malam vero, cum dicitur (*b*): *Odivi Ecclesiam malignantium*.

§. 99. Ecclesia tamen prout hic generaliter a Patribus, et Theologis accipitur, fidelium Christianorum collectionem denotat; et primo duplex est *materialis*, et *formalis*. Ecclesia materialis proprie est locus, in quo fideles Catholici conveniunt religionis causa, de hac loquitur Apostolus (*c*) cum dicit: *convenientibus vobis in Ecclesiam*: quare Templa, et alia loca, ubi fideles ad orandum, et alia Religionis officia obeunda conveniunt, Ecclesiæ

(a) *Psal.* 49.
(b) *Psal.* 25.
(c) *Cor. Cap. II.*

siæ vocantur. Ecclesia *formalis* est cætus ipse fidelium, abstrahendo a locis in quibus hujusmodi societas reperitur; hoc sensu (*a*) dicitur, quod: *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*, scilicet S. Petro.

§. 100. Porro Ecclesia formalis, dupliciter sumi potest, *late* nempe, et *strictæ*. Late sumpta triplicem Ecclesiam complectitur, Triumphantem in Cælis, *Cœtum* nempe Beatorum cum Christo in Cælo regnantium; Purgantem, cætum nempe animarum, quæ in Purgatorio detinentur; Militantem, cætum nempe fidelium in terris, cum mundo, Dæmone, ac carne pugnantium, sive hi fuerint ante Christi adventum, sive post. Ecclesia vero stricte sumpta est societas fidelium Christianorum. Atque hæc insuper sumi solet tripliciter; aut nempe pro Pastoribus Ecclesiæ, quo sensu dixit Christus (*b*): *Dic Ecclesiæ*; vel pro Ecclesia peculiari, veluti cum dicit Paulus (*c*): *Ecclesia quæ est Corinthi*; vel tandem pro Ecclesia universali, et per totum orbem diffusa, quæ omnes fideles complectitur; et hac acceptione, lo-

(a) Actor. XII. *v.* 6.
(b) Matth. XVIII. *v.* 17.
(c) I. Corinth. I. *v.* 2.

loquens dominus Petro dixit illi (*a*): *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Et de hac Ecclesia erit modo sermo noster; de Ecclesia vero Triumphante, et Purgante, quæ alterius Mundi Ecclesiæ vocantur, postea.

§. 101. Ecclesia prout hic accipitur considerari potest quoad animam, et quoad corpus; seu ut alii dicunt, secundum *esse formale*, et secundam *esse materiale*. Fides Spes, Charitas, et Dona Spiritus Sancti sunt anima Ecclesiæ. Corpus vero Ecclesiæ in externa Fidei professione, et Sacramentorum communione consistit. Quicumque ergo supradicta Dona possidet, ad integram Ecclesiam pertinere dicitur; ad corpus vero solum Ecclesiæ, qui externam Fidei professionem habet, atque Sacramentorum communionem.

§. 102. Hæretici cum Catholicis non conveniunt circa veram Ecclesiæ notionem, et essentiam. Pelagiani enim, teste S. Augustino (*b*), dicebant Ecclesiam esse Congregationem hominum nullam culpam habentium. Novatiani pariter adfirmabant Ecclesiam esse Cætum hominum justorum, qui saltem numquam in grave crimen contra

(a) Matth. XVI. v. 18.
(b) *Lib. de Hæres. Cap.* 88.

tra Fidei confessionem lapsi fuerant; Sed admodum incertum est quo sensu ipsi locuti fuerint; idipsum commenti sunt Donatistæ. Wiclefus vero censuit Ecclesiam esse Cætum prædestinatorum : Lutherani autem qui Confessioni Augustanæ subscripserunt, volunt Ecclesiam nihil aliud esse quam Congregationem sanctorum, qui vere credunt; et obediunt Christo. His assentiuntur Calvinistæ; at quoniam, Calvini sententia, ii vere sunt justi, qui ad æternam vitam sunt præordinati, ideo Ecclesia per ipsos ex solis prædestinatis coalescit. Verum contra hos, aliosque, si qui sunt talia effutientes, stant omnes Catholici, qui Ecclesiam definiunt prout sequitur :

§. 103. » Ecclesia est cætus hominum » viatorum ejusdem Fidei Christianæ pro» fessione, et eorumdem Sacramentorum » communione colligatus sub legitimorum » Pastorum regimine, ac præcipue sub » regimine unius Christi in terris Vicarii, » Romani Pontificis » (a). Quæ definitio quam sit adcurata (quidquid contra blateret Launojus), ex dicendis, luculentissime adparebit.

CA-

(a) Bellarm. *Tom. II. Lib. III. cap.* 2.

Caput II.

De veræ Ecclesiæ notis.

§. 104. Notæ veræ Ecclesiæ nihil aliud sunt, quam signa quædam, vel characteres, queis vera Christi Ecclesia cognoscitur, et ab aliis societatibus Anticatholicis quæ potius Ecclesiæ malignantium, vel Sinagogæ Dæmonum dici possunt, distinguitur. Unde tres conditiones habere debent; 1. quod sint ipsa Ecclesia notiores; 2. quod sint propriæ; nempe aliis non conveniant; 3. quod sint sensibiles, cuilibet obviæ, et cognitu faciles; ut sic omnes ad Ecclesiam, et veram Fidem adduci possint.

§. 105. Etiam Hæretici nobiscum conveniunt aliquas esse debere veræ Ecclesiae notas, verumtamen sicuti errant in vera Ecclesiae natura dignoscenda, ita errant notas adsignando, quae verae Ecclesiae propriae sunt. Brentius, Mellacthon, Calvinus, et Centuriatores duas tantum verae Ecclesiae notas adsignant » sinceram » nempe verbi Dei praedicationem, seu veram Fidei doctrinam, et legitimum Sacramentorum usum «. Lutherus usque ad

septem Ecclesiae notas extendit, inter quas duas modo indicatas comprehendit. Catholici non conveniunt inter se in notis his adsignandis. S. Hieronymus duas tantum (a) tradit; *continuam* nempe *Ecclesiae ab Apostolis ad nos usque durationem*, *et ipsam Christiani nominis appellationem*. Symbolum Apostolorum, duas item recenset, nempe, quod sit *Sancta*, et *Catholica*. Vincentius Lirinensis (b) tres enumerat, *Universitatem* scilicet, *Catholicitatem*, et *Apostolicitatem*. Symbolum Constantinopolitanum quatuor statuit, *Unitatem*, *Sanctitatem*, *Catholicitatem*, et *Apostolicitatem*, S. Augustinus sex recognovit (c); et alii tandem vel plures, vel pauciores; unde et apud Bellarminum usque ad quindecim excrevisse legimus (d).

Pro-

(a) *Dial. contra Lucifer. circa fin.*
(b) *Commonit. Cap. III.*
(c) *Lib. contra Epist. Fund. Cap. IV.*
(d) *Lib. IV. de Eccl. Cap. III.*

Propositio I.

Neque verbi Dei sincera prædicatio, neque Sacramentorum legitima administratio sunt veræ Ecclesiæ notæ.

§. 106. Probatur. Ecclesiae notae tales esse debent ut nulla alia nota indigeant, qua cognoscantur, per ipsas vero Ecclesia cognoscatur, et a quacumque alia societate, quae vera Ecclesia non sit, distinguatur (§. 104.); Atqui hujusmodi non sunt Verbi Dei sincera praedicatio, et Sacramentorum legitima administratio; Ergo etc. Prob. min.: Et primo quidem, ut Verbi Dei sincera praedicatio esset nota Ecclesiae, deberet esse notior et manifestior ipsa Ecclesia; Cumque ad sinceram Verbi Dei praedicationem duo prae caeteris necessaria sint; 1. ut nempe Verbum sit tale, et, 2. ut qui illud praedicat sit a Deo missus (Ait siquidem Apostolus (a): *Fides ex auditu, auditus autem per Verbum Christi . . . . Quomodo autem audient sine prædicante, quomodo vero prædicabunt nisi mittantur?*), volenti veram Ecclesiam cogno-

(a) *Roman. X. v.* 17. 18.

gnoscere, haec duo ei notissima esse deberent; 1. nempe quod doctrina quae praedicatur sit vere Verbum Dei; et 2. quod a Deo sit missus, qui illam praedicat. Atqui haec obscurissima sunt, et nonnisi per Ecclesiam determinantur; Ad Ecclesiam namque pertinet Scripturas Canonicas dignoscere; verum, atque germanum Scripturae sensum tradere (§. 80.) Traditiones falsas a veris secernere (§. 92.); Atque operarios mittere in vineam suam, qui nempe Verbum Dei praedicant; ergo cum praedicatio ab Ecclesia recipiat firmitatem, non ipsa hanc det Ecclesiae, hujus nota procul dubio esse nequit. Deinde legitimus Sacramentorum usus dari nequit quin cohæreat Verbo Dei; cum ergo quale sit Verbum Dei notum cuique non sit, nisi per Ecclesiam, nonnisi quoque per Ecclesiam innotescere poterit qualis sit legitimus Sacramentorum usus. Ecclesia itaqua notior est et clarior usu legitimo Sacramentorum; et hic per illam potius ostenditur, quam illa per hunc: Igitur etc.

PRO-

Propositio II.

Notæ veræ Christi Ecclesiæ quatuor sunt; 1. Unitas; 2. Sanctitas; 3. Catholicitas; et 4. Apostolicitas.

§. 107. ITa in Symbolo Constantinopolitano credere profitemur, cum dicimus: *Et unam, Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam.*

Prob. Et primo quidem: Ecclesia Christi vera *Una* sit oportet. Nam ipsa dicitur in Scripturis Corpus Christi, Sponsa, Ovile; atqui unum est corpus, cujus Christus est caput, ut ait Apostolus (*a*): *Multi unum corpus sumus in Christo.* Una est Christi sponsa juxta illud Canticorum (*b*): *Una est electa mea.* Unum est Christi ovile; unde et ait ipse apud Joannem (*c*): *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus Pastor*; Una ergo sit Ecclesia necesse est; adeoque *Unitas* est veræ Ecclesiæ nota.

Se-

(a) *Roman. XII. v. 5.*
(b) *Cap. VI. v. 8.*
(c) *Cap. X. v. 16.*

Secundo: Ecclesia debet esse *Sancta*; Nam ipsa est Sponsa Christi; si ergo Christus est Sanctus, innocens, impollutus, et segregatus a peccatoribus; imo totius Sanctitatis fons, et origo, Sanctam procul dubio voluit Ecclesiam, et talem revera effecit; etenim ait Apostolus (*a*): *Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret*; Ergo etc.

Tertio: Ecclesia, *Catholica* sit necesse est, hoc est, universalis et toto terrarum orbe ubique diffusa; promiserat namque Dominus per Prophetam Malachiam, dicens (*b*): *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda*. Revera Christus fundaturus Ecclesiam, non intra limites alicujus Regni, aut partis Terræ eam voluit statutam, sed ubique terrarum: *Euntes*, dixit discipulis suis (*c*) *in mundum universum, prædicate Evanlium omni Creaturæ .... illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis*; Ergo etc.

Quar-

(a) *Eph. Cap. V.*
(b) *Cap. I. v. 11.*
(c) Marci XVI. *v.* 15.

Quarto tandem Ecclesia, debet esse *Apostolica*. Cum namque Apostoli a Jesu Christo delecti fuerint ad Ecclesiam per universum stabiliendam, et propagandam, imo, tamquam Ecclesiæ ipsius firmissima fundamenta, licet secundaria ; qua de re Paulus ad Ephesios scribens , ait (*a*) : *Estis cives Sanctorum , et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum etc.* , illa est vera Christi Ecclesia, quæ doctrinam Divinam per Apostolos acceptam , incorruptam conservat, atque continuatam ab Apostolis ministrorum, atque Pastorum successionem habet; uno verbo est Apostolica; Adeoque etc.

PROPOSITIO III.

Sola Romana Ecclesia, quæ vulgo Ecclesia Catholicorum dicitur, una est.

§. 108. Probatur. Unitas Ecclesiæ in tribus potissimum consistit; 1. nempe in unitate Fidei, et doctrinæ ; 2. in unitate membrorum cum legitimo Pastore, ac Jesu Christi in terris Vicario Romano Pontifice; 3. tandem in unitate mediorum ad salu-

(a) *Ephes. Cap. II. v. 19.*

lutem consequendam ; Atqui talis unitas in Ecclesia Romana, et non in alia quacumque societate reperitur ; ergo etc. Prob. min. : Et primo quidem in Ecclesia Romana adest unitas Fidei . Sicut namque unus est Dominus qui eam fundavit, ita et una est omnium credentium Fides. Percurre omnes Mundi partes , interroga si potes Christianos omnes, ubicumque degentes de doctrina Fidei : quid? Idipsum sentiunt in uno spiritu ; *Omnium credentium est cor unum, et anima una* (*a*) ; unius labii sunt , et quod credit , et credendum proponit Romana Ecclesia, omnes similiter credunt , idipsum ore uno prædicant, et uniformiter scribunt : Quare S. Augustinus (*b*) ait : *Qui volunt unam linguam, veniant ad Ecclesiam* : *Quia in diversitate linguarum carnis, una est in fide lingua cordis* .

Secundo in Ecclesia Romana adest unitas membrorum cum capite ; Omnes quippe Christi fideles toto terrarum orbe dispersi, unum corpus efficiunt, juxta illud Apostoli : *Multi unum corpus sumus in Christo* , *singuli autem alter alterius*

mem-

(a) *Actor. IV. v.* 32.

(b) *Apud* Boyvin *Tom. IV. q.* 1. *de* 1. *nota Eccl. conc.* 1.

membra (*a*); omnes unanimiter Supremo capiti Romano Pontifici obtemperant; et veluti mitissimæ oves pascuæ Jesu Christi, vocem audiunt successoris D. Petri, cui eas pascendi cura a Domino demandata fuit illis verbis (*b*): *Pasce oves meas.* Ergo etc.

Tertio tandem, Romana Ecclesia unitatem habet mediorum ad salutem æternam obtinendam. Et sane, vel de mediis internis, puta Fide, Spe, et Charitate loqui velimus, vel de mediis externis, puta Lege Evangelica, Sacramentis, Sacrificio Eucharistiæ: quocumque modo, nulla est discordia inter fideles, nulla schismata sunt in iis admittendis; Ergo etc.

At cæteræ Hæreticorum, atque Schismaticorum societates? Non sic illæ non sic. Nulla certe in eis doctrinæ et Fidei unio, atque consensio; imo tanta diversitas, et divisio, ut potius Babelicas confusiones, quam Ecclesias dixeris. Nulla mediorum conformitas ad salutem consequendam. Quædam plura, quædam pauciora admittunt Sacramenta; quædam hæc, quædam illa necessaria deprædicant. Nulla tandem unio membrorum cum Capite in illis, quip-

(a) *Roman. XII. v.* 5.
(b) Joan. *ult.*

quippe a vero Pastore, et Christi Vicario Romano Pontifice sejunctæ; nullam propterea Episcoporum, ac Pastorum legitimam missionem, ac successionem habent; Ergo in sola etc.

PROPOSITIO IV.

Sola Societas Romano-Catholica Sancta est.

§. 109. PRob.: Vera Christi Ecclesia quadruplici ratione dici potest Sancta; vel nempe sanctitate Capitis, vel vocationis, vel professionis, vel tandem sanctitate præcipuorum membrorum. Atqui Ecclesia Romana, omnibus hisce rationibus Sancta est; Ergo etc. Probatur min. quoad singulas ejus partes. Et primo quidem; Ecclesia Romana a Jesu Christo vero Deo, et homine sanctitatis totius fonte, nec non ab Apostolis omni virtutum genere ornatis, atque sanctitate illustribus fundata fuit, quibus, omni ævo, Episcopi Sancti, et Pontifices successerunt sanctitate præcellentes, qui miraculis suæ probitatis fidem indubiam præsentibus, atque posteris fecerunt; Ergo etc.

Secundo. Quicumque in ea vocantur ad sanctitatem vocantur: ait namque Apostolus ad Ephesios scribens (*a*): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus sancti*, *et immaculati in conspectu ejus*; Et ad Thessalonicenses (*b*): *Non enim*, ait, *vocavit nos Deus in immunditiam*, *sed in sanctificationem*. Quare S. Petrus Christianos alloquens, eos (*c*) appellat *genus electum*, *regale sacerdotium*, *gens sancta*. Ergo Romana Ecclesia Sancta quoque est sanctitate vocationis.

Tertio. Doctrina et mores, qui in Romana Ecclesia profitentur, undique sanctitatem spirant, sanctitatem suadent, ad sanctitatem adquirendam ordinantur, et conducunt. Sancta dogmata quæ profitentur, eloquia sunt Domini; casta quidem, et immaculata, argentum igne examinatum. Mores sancti; in ea quippe sæpius illud Domini fidelibus repetitur, et inculcatur (*d*) » Luceat lux ve» stra coram hominibus, ut videant opera » vestra bona, et glorificent Patrem ve-

 » strum

(a) *Cap. I. v.* 4.
(b) *I. Cap. IV. v.* 7.
(c) *Epist. I. Cap. II. v.* 9.
(d) *Matth. Cap. V. v.* 16.

» strum qui in Coelis est »; vel illud D. Joannis (*a*). *Filioli diligamus nos invicem quia Charitas ex Deo est* (*b*): *diligamus*, *non verbo*, *et lingua*, *sed opere*, *et veritate*; vel aliud hujusmodi. In ea mores corrupti per sanctos prædicatores acriter taxantur, et quod bonum est, rationibus, auctoritatibus, atque exemplis faciendum diligenter suadetur. *Nihil* (uno verbo) *nihil in Christianis Ecclesiis turpe*, *et flagitiosum spectandum*, *imitandumque proponitur*, *ubi veri Dei aut præcepta insinuantur*, *aut miracula narrantur*, *aut dona laudantur*, *aut beneficia postulantur* (*c*). Igitur Ecclesia Romana Sancta est sanctitate professionis.

Quarto tandem. Esto in ea omnia membra sancta, et absque macula non sint; ait quippe S. Joannes (*d*): *Si dixerimus quia peccatum non habemus*, *ipsi nos seducimus*, *et veritas in nobis non est*; Sunt tamen permulta in quibus virtus, et Sanctitas elucescit quamquodmaxime. Quot namque parvuli sacro baptismate abluti

---

(a) *I. Cap IV. v. 7.*
(b) *I. Cap. III. v. 18.*
(c) *Aug. Lib. II. de Civit. Dei Cap. XXVIII.*
(d) *I. Cap. I. v. 8.*

bluti gratia sanctificante præditi sunt, et vocantur et sunt filii Dei? Quot adulti, qui licet aliquando lapsi, per Sacramentum Poenitentiae Deo reconciliati, Divinæ naturæ consortes denuo facti sunt? Quot Episcopi, Pastores, ac Prælati, qui ea quæ muneris proprii sunt ex Apostolo (*a*), perfecte adimplentes, in sanctitate et justitia coram Pastorum Principe ambulant, ab eo laborum suorum justam mecedem retributionis accepturi? Quot sacræ Virgines sive in Claustris, sive in domibus degentes, nedum nescire volunt thorum in delicto, sed uni viro, castissimo animarum dilecto, qui pascitur inter lilia, desponsæ, stolis albis amictae agnum sequuntur quocumque ierit? Quot tandem Laici cujuscumque sexus, ætatis, et conditionis inveniuntur, qui juxta Pauli monitum (*b*), induunt se, *sicut electi Dei Sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam?* Ergo Romana Ecclesia sancta est quoque sanctitate membrorum.

Sed Ecclesiæ Hæreticorum? Ne vestigium quidem, et umbra sanctitatis in eis

 ap-

(a) *Ad Timot. Cap. III.*
(b) *Coloss. III.*

apparet. Auctores earum impii, atque omni vel fædissimo scelere inquinati fuerunt, seipsos amantes, Sacræ Scripturæ corruptores, et gratiam Dei convertentes in luxuriam. Quis namque Lutherus fuit? quis Calvinus? uterque votifragus, impudicus, seductor. Primus per decem annos laboravit, ut conscientiam extingueret; secundus ob crimina flagellatus fuit. Quare quotquot in illis vocantur, non in sanctificationem, sed in corruptionem, immunditiam et perditionem vocantur. Nam docent Deum auctorem esse peccati, imo ad peccandum cogere; impossibilia præcipere etc. Nullus proinde in eis reperitur vere, qui per semitas justitiæ ambulando, recta tendat ad salutem consequendam, et consequatur reapse. Igitur etc. (a).

PROPOSITIO V.

Soli Romanæ Ecclesiæ nomen Catholicæ competit.

§. 110. PRobatur. Nam primo Ecclesia Romana omnes, et quascumque gentes

(a) *Leg. Biblioth. Theol. Tom. V. P. 1. sect. 2. Cap.* 18.

tes vocat, ac veluti mater suo sinu complectitur, quæ ad ipsam veniunt, ut fide, aliisque mediis immaculatas, et sanctas servet sponso suo. In ea non est distinctio Judæi, et Græci, Barbari, et Scitæ, Sapientis, vel insipientis, omnes unum corpus sunt in Christo Jesu, omnes filii ejusdem matris, et ad invicem fratres dicuntur. Deinde Romana Ecclesia per totum terrarum orbem est diffusa. Est namque in Asia, America, Japonia, in Brasilia, in Europa, in Africa; et ubique Christiani inveniuntur, qui eamdem fidem quam tenet S. Romana Ecclesia profitentur, et Catholici appellantur. Ergo sola etc.

Contra vero Ecclesiæ sectariorum, Hæreticorum nempe, et Schismaticorum neque eamdem fidei universitatem habent, neque per totum orbem sunt diffusæ, neque gentes omnes complectuntur; Unde merito S. Augustinus (*a*), sectarios urget dicens: » Date mihi hanc Ecclesiam, » si apud vos est: ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam vidimus in hoc semine benedici. Date » hanc, aut furore deposito accipite, non » a me, sed ab illo ipso, in quo bene- » di-

(a) *Contra Donatistas Cap. VI.*

» dicuntur omnes gentes «; sed quomodo dabunt hanc Ecclesiam? Igitur etc.

PROPOSITIO VI.

Sola Romana Ecclesia est Apostolica.

§. 111. PRobatur. Illa sola Ecclesia dici debet Apostolica, quæ ab Apostolis est fundata, et propagata; quæ Apostolicam profitetur doctrinam, atque ab Apostolorum tempore semper legitimos habuit Pastores, et Episcopos: Atqui talis est Ecclesia Romana; ea enim ab Apostolis a Domino electis, et per universum mundum missis, fundata fuit (§. 107.): Doctrinam quam ab Apostolis sive scripto, sive Traditione accepit, profitetur, et continuam, nec umquam interruptam habet Pastorum legitimorum seriem a S. Petro usque ad Summum Pontificem Pium VII. (quem Deus, bono Christianæ Fidei, et Ecclesiæ, in difficillimis temporibus datum, diutius incolumem servet). *Numerate*, revera, dicam cum S. Augustino (a), *Sacerdotes vel ab ipsa Petri sede, et in ordine illo Patrum quis cui successit, videte.* Ergo etc. At

(a) *In Psalmo contra partem donati.*

At Ecclesiæ aliae Hæreticorum etc.? Apostolicae utique non sunt. Eae siquidem non ab Apostolis, sed a Luthero, Calvino etc. fundatae fuerunt, nec proinde Apostolicam servant Doctrinam; neque ab Apostolis non iuterruptam Pastorum successionem habent; ergo etc.

Conclusio.

Sola Romana Catholica societas est vera Christi Ecclesia.

§. 112. PRob. Ea sola societas vera Christi Ecclesia dici debet, cui omnes veræ Ecclesiae notae conveniunt; Atqui soli Romanae Ecclesiae notae hujusmodi conveniunt; nam ipsa sola est Una (§. 108.), Sancta (§. 109.) Catholica (§. 110.), atque Apostolica (§. 111.); ergo etc.

§. 113. Cum ergo sola Romana Ecclesia sit vera; cumque nonnisi qui sunt de Ecclesia vera Christi, salutem aeternam consequi possint, patet extra omnem spem salutis obtinendae reperiri, qui ad Ecclesiam Catholicam Romanam non pertinent, suntque extra illam. Apposite S.

Augustinus (a): *Qui præter illam, idest Ecclesiam, est; nec cum Deo est....: ipsa namque proprie Spiritum Sanctum pignus accepit; sine quo non remittuntur ulla peccata.*

Objectiones adversariorum solvuntur.

Objic. Illa societas vera Christi Ecclesia dicenda non est, quae notis verae Ecclesiae destituitur; Atqui talis est Romana societas; ergo etc. Prob. min. quoad singulas ejus partes. Et primo quidem: In Ecclesia Romana non est unio membrorum ad invicem, itaut unum corpus efficiant, imo potius tot sunt sectae, et divisiones quot sunt Monachorum Instituta, Benedictinorum nempe, Dominicanorum, Franciscanorum, Carmelitanorum, Augustinianorum etc.; neque insuper adest consensio Doctrinae; alia quippe est Doctrina Thomistarum, alia Scotistarum, alia Augustinianorum etc.; et quod pejus unusquisque in sua Doctrina tuenda pugnat acerrime; Ergo in Romana Ecclesia deficit nota unitatis.

Sed et deest nota Sanctitatis. Siquidem si loquamur de sanctitate Pastorum, quot in Ecelesia Romana fuerunt, et sunt qui nomen sanctitatis habent, et facta im-

(a) *Enchiridii Cap. 63.*

impiorum? Si loquamur de membris, notum est, Ecclesiam Romanam complecti etiam peccatores; Ergo etc.

Ulterius: Catholica non est Romana Ecclesia; non est enim per universum orbem diffusa; quippe fere non est in Anglia, Scotia, Provinciis faederatis Dania, Svecia, majori parte Germaniae, Transilvania, Moldavia, Valachia, Russia, Moscovia, ne dicam apud Graecos, Armenos, Ægyptios, Abissinos etc. Ergo etc.

Tandem Apostolica dici nequit: Non enim amplius in ea existit legitimorum Pontificum, et Episcoporum successio. Pontifices namque eliguntur a Cardinalibus, qui non sunt institutionis Divinae; et Episcopi eliguntur a Regibus; Igitur Romana societas non est vera Christi Ecclesia.

§. 114. Respondetur ad singula. Et ad primum quod attinet: Laudati Monachorum Ordines Unitatem Catholicae Ecclesiae non scindunt, quin potius servant atque tuentur: ipsi namque sunt ab Ecclesia adprobati, et sub Romani Pontificis maxima obedientia, ut selecti ordines bellatorum ad præliandum prælia Domini miro modo accincti, fortes robore ad sustensten-

stentandam Ecclesiam contra inferi portas. Quoad vero eorum doctrinæ varietatem, id non officit unitati Ecclesiæ, quia non est circa Fidei dogmata, quæ ab ipsis juncto agmine profitentur, et defenduntur, sed circa quasdam liberas scholæ opiniones, *in quibus salva fide* (ait Augustinus) (*a*), *qua Christiani sumus*, *aut ignoratur quod verum sit.... aut aliter quam est*, *humana*, *et infirma suscipione conjicitur*. Quare et ad veritatis dilucidationem, et ad ingeniorum exercitationem Ecclesia in varias partes agitare permittit.

§. 115. Ad secundum. Pontificis alicujus Romani, vel Præsulum aliquorum mores censura digni, si qui fuerunt, ut prætendunt Hæretici, nihil aliud ostendunt, quam Pontifices quoscumque, etsi in Ecclesiæ fastigio positos, ac præ caeteris dignitate fulgentes, non desiisse homines esse, infirmitate proinde circumdatos, non vero sanctitati Ecclesiae derogasse, cum hujus sanctitas non a sanctitate Praesulum, sed a sanctitate Capitis, nempe Christi, doctrinae, et vocationis potissimum (§. 109.) repetenda sit. Nec ideo Sancta vocatur Ecclesia quod nullos com-

ple-

(a) *Lib. II. de peccato Originali Cap.* 23.

plectitur peccatores, sed quia permulta ex omnibus personarum generibus habet membra, quae sanctitate donantur. Ergo licet tam ex Praesulibus, quam ex membris peccatores inveniantur, adhuc tamen Ecclesia est Sancta.

§. 116. Ad Tertium. Ecclesiae Catholicitas non in eo consistit, aut consistere potest, quod omnes omnino homines sint de Romana Ecclesia; alias ipsi Haeretici hanc notam propriae Ecclesiae convenire desperarent; sed eo sensu quo jam demonstratum est (§. 110.); Catholica nempe quia per omnes mundi partes filios habet, qui Deum adorant in spiritu, et veritate, quique licet diversi idiomatis, in confessione verae Fidei adunati, quasi filii obedientiae Summum Romanum Pontificem reverentur. Et certe nulla est Regio neque tam dissita, neque tam veneno haeresis, et schismatis infecta, in qua fideles hujusmodi non inveniuntur. Sunt propterea in Anglia, in Scotia, in Dania, in Germania, in Prussia, in Moscovia; necnon inter Graecos Schismaticos, atque inter ipsos Turcas. Ergo etc.

§. 117. Ad quartum tandem. Esto Pontifices Romani a Cardinalibus, et E-

piscopi a Regibus eligantur, nihil legitimam eorum missionem laedit; nam alia est electio, alia est ordinatio, quae dat missionem. Eliguntur quidem a Cardinalibus Pontifices, eliguntur a Regibus Episcopi, at ab Episcopis, qui juris Divini sunt, ordinantur, et ab ipsis missionem recipiunt; Adeoque etc.

Caput III.

De verae Ecclesiae proprietatibus.

§. 118. Tres potissimum a Theologis assignari solent verae Ecclesiae proprietates; 1. nempe *visibilitas*; 2. *indefectibilitas*, et 3. *infallibilitas*: Prima consistit in hoc, quod Ecclesia non solum intuentium oculis pateat; sed quod etiam inter omnes alias societates eminenti quadam constanti, et singulari claritate per totum orbem splendida semper et conspicua fuerit. 2. quod semper, et usque ad consumationem saeculi sit duratura; et 3. quod in rebus Fidei et morum falli, aut fallere nequeat.

§. 119. Omnes illi Haeretici, qui volunt Ecclesiam esse Caetum aut Sanctorum,

rum, aut justorum, aut praedestinatorum, consequenter volunt eam invisibilem. Ita de facto expressis verbis docuit Lutherus, ita Calvinus. *Quis* namque inquit Lutherus (*a*), *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, et solum credatur, sicut dicitur: Credo Ecclesiam Sanctam?* Calvinus vero erroris accusat quotquot Ecclesiam oculis corporeis visibilem agnoscunt; ait siquidem (*b*): *Sed non parum a vero aberrant, dum Ecclesiam non agnoscunt, nisi quam præsenti oculo cernunt.*

PROPOSITIO I.

Vera Christi Ecclesia fuit semper, et est absolute visibilis.

§. 120. PRobatur. Vera Christi Ecclesia in Scripturis, juxta Sanctorum Patrum interpretationem, modo comparatur monti, modo Dei Tabernaculo, modo Civitati; Atqui haec omnia visibilia sunt, et oculis omnium patentia; Ergo etc. Probatur min. Isajas spiritu agnoscens Ec-

(a) *In Libro de abroganda Missa privata parte* 1.
(b) *In præfat. Institut.*

Ecclesiam novae Legis, ita vaticinatus est (*a*) *Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes*; Ergo sicut mons super omnes montes elevatus facilius, et clarius conspicitur, et visibilis est; ita et Ecclesia Christi. Deinde Regius Psaltes, quasi oculis cerneret Christi Ecclesiam jam undique claritate fulgentem, ait (*b*): *In sole posuit tabernaculum suum*; hoc est: *in manifestatione posuit Ecclesiam suam*, ut explicat Augustinus (*c*); Sicut proinde sol cunctis visibilis est, ita et Ecclesia. Tandem Christus ipse Ecclesiae Apostolos alloquens, ait (*d*): *Non potest Civitas abscondi super montem posita*; Atqui per hanc Civitatem Augustinus Ecclesiam intelligit (*e*); Ergo Ecclesia non est occulta, sed omnibus visibilis.

§. 121. Probatur secundo. Ex iisdem Scripturis Ecclesia est ovile, et sicuti Pastores jubentur pascere oves, juxta illud Sal-

(a) *Cap. II. v. 2.*
(b) *Psal. XVIII.*
(c) *Epist. 166.*
(d) *Matth. V. v. 14.*
(e) *Lib. de unit. Ecclesiæ Cap. XVI.*

Salvatoris Petro (a) : *Pasce ove meas: pasce agnos meos* ; et juxta illud Petri (b) caeteris Ecclesiae Pastoribus : *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, ita et oves tenentur scire, et cognoscere Pastores, atque praeceptis eorum ex animo obtemperare (c), dicente Apostolo *obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Atqui si Ecclesia foret invisibilis, id nullo modo exequi posset; quis namque Pastor posset cognoscere quae sint oves pascuae suæ? quae oves scire possent quisnam esset verus earum Pastor? Ergo etc. Tandem, vult Christus, fideles Ecclesiam audire (d) Sed si Ecclesia non esset visibilis audiri non posset; Ergo etc.

Argumenta opposita solvuntur.

Objic. Quod obligamur credere, visibile non est; Fides namque est *argumentum non adparentium* (e); Sed obligamur Ecclesiam credere ex Symbolo Constantinopolitano: *credo Sanctam Ecclesiam*; Ergo Ecclesia non est visibilis.

§. 122. ℟. conc. maj. dist. min. obligamur credere Ecclesiam, quoad omnia, ne-

(a) *Joan. ult.*
(b) *I. Cap. V. v. 2.*
(c) *Heb. XIII.*
(d) *Matth. Cap. XVIII.*
(e) *Hebraeor. XI. v. 1.*

nego; quoad aliqua conc. min., et nego cons. Duo in Ecclesia consideranda sunt; Primum est quod ipsa sit Caetus fidelium eamdem Fidem profitentium, eadem Sacramentorum participatione utentium sub iisdem Pastoribus, quorum Caput est Romanus Pontifex (§.103.); secundum est, hanc Ecclesiam esse veram Christi Ecclesiam, et quod a Spiritu Sancto regatur. Primum quia oculis cernitur, credere non obligamur, bene vero secundum, quia est prorsus invisibile. Revera in eodem Symbolo nonne obligamur quoque unum baptisma credere, et confiteri: *confiteor unum baptisma*? Et tamen videtur aqua, audiuntur verba ministri dum eum confert, quomodo itaque baptisma credimus? Quia praeter id quod oculis cernimus, credimus esse Sacramentum a Christo Domino institutum ad abluendum peccatum originale etc., quod oculis non cernitur. Ita pariter videmus Ecclesiam, et eam credimus esse veram Christi sponsam Sanctam, quod non videmus.

Contra. Atqui Ecclesia etiam in primo sensu inspecta est Fidei objectum; adeoque invisibilis; Ergo n. r. Probatur subs. Ecclesia eo in sensu inspecta est Corpus Christi mysticum; Atqui Corpus Chri-

Christi mysticum invisibile est; Ergo etc.

§. 123. ℟. Duplici sensu Ecclesia dici potest Corpus Christi mysticum, et prout nempe distinguitur ab ejus physico, et vero corpore, et prout fideles complectitur, qui per virtutes Fidei, Spei, et Charitatis invicem conjuncti unum corpus efficiunt cum ipso, ut sunt justi. Quocumque sensu dicatur Ecclesia corpus mysticum, non inde sequitur eam esse invisibilem; Nam Ecclesia considerari posse secundum animam et secundum corpus, notum est (§. 101.); sicut ergo homo dicitur visibilis, licet quoad animam invisibilis sit, ita Ecclesia dicitur visibilis licet, quoad animam, corpus Christi mysticum invisibile sit.

Contra. Atqui Ecclesia, ut est Corpus mysticum Christi, est invisibilis; ergo n. r. Prob. subs. Apostolus ad Hebraeos scribens de Ecclesia, inquit (a): *Non accessistis ad tractabilem montem etc.* Ergo si Ecclesiam non est tractabilis, certe non est visibilis.

§. 124. ℟. dist. ant. Et laudato in loco loquitur Apostolus de Ecclesia militante, nego; de triumphante, conc. ant., et n. cons. Esto multis in locis, et tam clare

k quam-

(a) *Hebraeo. XII.*

quamquodmaxime, non docuisset Apostolus, Christi Ecclesiam visibilem esse, nihil adhuc objecto testimonio adversus nostram thesim obtinerent adversarii: Nam perspicuum omnino est ex immediate sequentibus ipsiusmet Pauli verbis, eum ibi loqui de Ecclesia triumphante. Sequitur enim post laudata verba: *sed accessistis ad Sacramentum, Civitatem Dei viventis Cœlestem Jerusalem*.

PROPOSITIO II.

Vera Christi Ecclesia usque ad finem mundi numquam erit defectura, etiam quoad partem visibilem.

§. 125. PRobatur 1. In Sacris Scripturis nomine Civitatis, vel foederis, vel Regni, Christi Ecclesia designari solet. Atqui quoties de Christi Ecclesia sub his nominibus Scripturae loquuntur, eam in perpetuum duraturam, adeoque indefectibilem dicunt; Ergo etc. Probatur. In Daniele Propheta (a) legitur: *Suscitabit Deus Regnum, quod in aeternum non*

(a) *Cap. II.*

non dissipabitur. Apud Jsajam (*a*) habetur: *Fœdus perpetuum feriam eis*. Et apud Psalmistam (*b*): *Sicut audivimus sic vidimus in Civitate Dei nostri; Deus fundavit eam in æternum*. Si ergo Ecclesia est Regnum quod in aeternum non dissipabitur; si est foedus perpetuum; *si eam Deus fundavit in æternum*, *quid times*, ait S. Augustinus (*c*), *ne cadat fundamentum*? Indefectibilis ergo est Ecclesia, etiam quoad partem quae visibilis est, quia quamdiu est Christi Ecclesia semper visibilis est (§. 120.).

§. 126. Probatur 2. Ecclesia dicitur ab Apostolo (*d*): *Columna*, *et firmamentum veritatis*; Atqui talis non esset, si aliquando deficeret; Ergo etc. Deinde Christus dilexit Ecclesiam, eamque sibi sponsam adquisivit sanguine proprio; jam vero inter sponsum, et sponsam vinculum est indissolubile, et perpetuum: Ergo Ecclesia etc. Praeterea dedit Christus Pastores, qui Ecclesiam gubernarent: *Et ipse*, ait Apostolus ad Ephesios (*e*), *dedit quosdam quidem Pastores*, *et Docto-*

k 2

(a) *Cap. 61.*
(b) *Psal. 47.*
(c) *In locum suprad.*
(d) *I. ad Tim. III. v. 15.*
(e) *Cap. IV.*

ctores . . . in ædificationem corporis Christi; Atqui Pastores hujusmodi, non ad aliquod tempus, sed usque ad finem mundi perseveraturi dicuntur in regimines visibilis Ecclesiæ; sequitur enim laudato in loco Apostolus: *donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei*; Ergo etc. Tandem Christus ipse dubium omne tollit circa hanc Ecclesiæ suæ proprietatem: ait siquidem Petro (*a*). *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Et discipulis omnibus (*b*): *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*; Ergo Ecclesia etc.

Objic. Ecclesia semper defecit in omni statu; Ergo et in statu Legis Evangelicæ defectura erit. Prob. maj. Ecclesia defecit in statu innocentiæ ob Adæ peccatum; In statu Legis Naturæ, quia paucissimi tunc justi inventi sunt; In statu Legis scriptæ, cum tempore Eliæ tam generalis discessio a cultu veri Dei facta fuerit, ut ipse conquestus sit, dicens (*c*); *de-*

(a) *Matth. XVI.*
(b) *Matth. ult.*
(c) *III. Reg. Cap. XIX.*

derelictus sum ego solus ; Ergo etc. ; adeoque etc.

§. 127. ℟. Esto totum hoc concederetur argumentum, nihil detrimenti reciperet nostra thesis. Nam Ecclesiæ nostrae a Jesu Christo super firmam petram fundatæ, indefectibilitas promissa fuit, non vero Ecclesiis, quæ præcesserunt. Sed negamus Ecclesiam illorum etiam temporum defecisse. Et primo quidem dici nequit, Ecclesiam tempore Adæ defecisse; nam Adam, et Eva initium Ecclesiæ erant, non vero Ecclesiam ipsam constituebant. Secundo: Pauci illi qui veri Dei cultores erant in statu Legis naturæ Ecclesiam constituebant; non ergo defecit tunc Ecclesia. Sed nec tandem, temporæ Eliæ, aut alio quovis tempore Ecclesia defecit; nam semper fuerunt justi, et amici Dei, qui Ecclesiam constituebant; quare querenti Eliæ respondit Dominus: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.*

Contra. Atqui Ecclesia Christi est aliquando ante finem mundi defectura; Ergo etc. Prob. min. subsa: Apostolus ad Thessalonicenses scribens ait, tempore Antichristi Ecclesiam esse defecturam; scribit

namque (a). *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati*; Ergo etc.

§. 128. ℟. Nomine discessionis, ibi non intelligitur omnium fidelium a Fide defectio, sed vel populorum rebellio a suis Principibus, et potissimum ab Imperio Romano: vel defectio multorum a Fide, idque ope Antichristi. Porro deficere multos a Fide non est idem ac totam Ecclesiam deficere, alias eam a multis sæculis jam defecisse dicendum erit, cum sæpius evênit, ut non pauci sive ob hæreses, sive ob schismata a vera Fide defecerint.

Contra. Atqui revera tempore Antichristi Ecclesia erit penitus defectura; Ergo n. r. Prob. subs. Christus de suo adventu in fine mundi loquens, ait (b): *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Atqui sine Fide Ecclesia non subsistit; Ergo si tunc non erit Fides, nec etiam Ecclesia; adeoque etc.

§. 129. ℟. dist. mai. Et loquitur Christus de fide perfecta; de fide nempe non solum credulitatis, ut explicat S. Bonaven-

(a) *II. Thessal. Cap. II.*
(b) *Lucæ XVIII. v. 8.*

ventura (a), sed et fidelitatis, et confidentiæ concedo; solum credulitatis n. maj. et dist. min. Atqui etc. non subsistit absque Fide credulitatis conc. absque Fide fidelitatis, et confidentiæ n. min., et consm. Laudato in loco non loquitur Christus de fide credulitatis, sive de virtute qua assentitur veritati a Deo revelatæ, sed de fide perfecta, quæ nempe est quoque fidelitatis, et confidentiæ, quam qui habet, *quodcumque dixerit fiat, fiet ei* (b). Verum hæc fides ad Ecclesiæ substistentiam necessaria non est, bene vero ad perfectionem. Quare esto in secundo Domini adventu vix inveniatur in terra, non ideo Ecclesia desinit esse, quia innumeri erunt, qui fidem credulitatis habebunt. Audiatur S. Augustinus, qui paucis rem totam conficit scribens (c): *Dicit autem hoc Dominus de fide quæ perfecta est. Ipsa namque vix invenitur in terra. Ecce plena est Ecclesia Dei, quis huc accederet si nulla esset fides? Quis non montes transferret si plena esset fides?*

(a) *Comment. in hunc loc.*
(b) *Marci XI. n. 13.*
(c) *De Verb. Dom. apud D. Thom. in Catec.*

Propositio III.

Vera Christi Ecclesia in iis quæ Fidei, et morum sunt definiendis infallibilis est.

§. 130. Probatur 1. ex Scripturis. Et primo quidem Apostolus ad Timotheum scribens (*a*) vocat Ecclesiam *columnam, et firmamentum veritatis*. Ergo etc. Deinde Christus Ecclesiæ suæ, Apostolis, eorumque successoribus in gubernatione, et regimine animarum peculiarem adsistentiam promisit, atque omnem doctrinam veritatis; ait siquidem (*b*): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; *et* (*c*): *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*. Quibus positis en argumentum. Illa est infallibilis, atque in definiendis rebus Fidei et morum errare non potest, in qua veritas ita residet, ut ipsa veritatem velut columna, et firmamentum substentet; quæ a Jesu Christo prima veritate fundata super firmam petram, usque ad finem

(a) *I. Cap. III. v.* 15.
(b) *Matth.* 28.
(c) *Joan. XVI.*

finem mundi ejus pervigili adsistentia potitur; quæque tandem a Spiritu Sancto interius regitur, qui ei omnia suggerit, eamque docet omnem veritatem; Atqui talis est vera Ecclesia, ergo etc.

§. 131. Probatur 2. Christus Ecclesiæ Pastores alloquens, ait (*a*) *qui vos audit me audit; qui vos spernit me spernit*; imo ab Ecclesia excludit, qui eam audire renuunt, dicens (*b*): *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus*; Atqui si Ecclesia errare posset in iis quæ Fidei sunt, et morum, definiendo falsum ut verum, vel inhonestam ut honestum, non teneremus aliquando neque Pastores, neque Ecclesiam audire; Ergo etc.

§. 132. Probatur 3. Ecclesia Christi est indefectibilis (§. 125.) Ergo est infallibilis. Probatur cons. Ecclesia constat Fide, Spe, et Charitate interius velut anima: externa Fidei confessione, et Sacramentorum communione tamquam corpore (§. 101.); Ergo si errare posset, falsum ut verum interius credendo, et exterius proponendo, neque quoad animam, neque quoad corpus existeret; Atqui

(a) *Luca X.*
(b) *Matth. XVIII.*

qui est indefectibilis; Ergo et infallibilis; adeoque etc.

Argumenta opposita solvuntur.

Objic. Tempore passionis, et mortis Christi Apostoli Fidem amiserunt, nequidem excepto Petro, pro quo Christus rogaverat ut fides ejus non deficeret; sed Apostoli tunc temporis Ecclesiam constituebant: Ergo Ecclesia etc.

§. 133. ℟. Apostoli scandalum ex Christi Passione sumentes peccarunt quidem, at fidem, si unum Thomam excipias, non amiserunt. Quod si Petrus ter Christum, negando visus sit infidelem evasisse; id verum est de fide externa, quam timore actus palam profiteri non est ausus, non autem de fide interna, quam ex promissione sibi facta a Christo, numquam amisit; Revera si hanc fidem amisisset, non statim ad unicum Domini, tam nequiter afflicti, intuitum ad pœnitendum inductus fuisset.

Contra. Atqui Apostoli tempore Passionis, et mortis Christi fidem internam, et externam omnes amiserunt; Ergo n.r. Prob. min. sub. Si ita non fuisset, Christus eorum incredulitatem, atque duritiam cordis non exprobasset; Atqui Christus post resurrectionem suam eis simul

con-

congregatis apparens (a), *exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*; Ergo etc.

§. 134. R'. Christus Apostolorum incredulitatem exprobravit non quia ipsi negarent, quod antea crediderant, sed quia fidem adhuc non habebant suæ resurrectioni, ut patet ex ipso textu. Verum est, eos de tali resurrectione, jam antea infallibile ab ipso Domino testimonium habuisse, cum dixerat illis (b): *Occident eum, et tertia die resurget*; sed monet Evangelista, illos pro tunc talia non intellexisse; adeo ut etiam de Petro, et Joanne familiaribus Christi. legitur, quod (c): *Nondum sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere.* Quare esto pro tunc tardi fuerint Apostoli ad credendam Christi resurrectionem, non ideo dicendum, eos fidem omnem amisisse, et eo vel maxima, quia mysterium illud tam inauditum, tunc primum promulgabatur. Cæterum. Ecclesia Christiana tunc proprie incepit, cum Apostoli, accepto Spiritu San-

(a) *Marci ult. v. 14.*
(b) *Luca XVIII.*
(c) *Joan. XX.*

Sancto in die Pentecostes Nomen Christi, et fidem Evangelicam publice annuntiarunt; Quare fuerit quæcumque ante hoc tempus Apostolorum incredulitas, nihil officit infallibilitati Ecclesiæ.

Contra. Atqui etiam eo tempore quo vera Christi Ecclesia perfecte constituta erat, et per orbem diffusa erravit; Ergo a capite arg. Probatur min. subs. Tempore Concilii Ariminensis, Ecclesia tota a Fide defecit; scribit namque S. Hieronymus (a): *Ingemuit totus Orbis, et Arianum se esse miratus est*; ergo etc.

§. 135. R/. neg. ans. Falsum omnino est totam Ecclesiam tempore Concilii Ariminensis à Fide defecisse. Esto namque illius Concilii Patres a Fide descivisse visi sint, eo quod ambiguae formulae subscripserint, quae eo tendebat ut Nicaenam fidei professionem labefactaret, revera tamen ita non fuit. Cum namque formula ab Arianis concinnata, et Concilii Patribus oblata, etiam in sensu Catholico interpretari posset, nihil fraudis aut doli in ea latere arbitrantes, eam adprobarunt. Verum statim ac Patres se deceptos ab Haereticis fuisse agnoverunt, (qui obtenta subscriptione formulæ jactitabant, Catholicos Epi-

(a) *In Dialogo adv. Luciferianos.*

Episcopos non aliter quam ipsos sentire) mirati sunt se, praeter intentionem, et citra culpam tamquam Arianos haberi. Quare subscriptionem retractantes, *contestabantur*, ait Hieronymus (a), *Corpus Domini, et quidquid in Ecclesia Sanctum est, se nihil mali in hac fide suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis, nec aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus, decepit nos bona de malis existimatio*; In fide itaque non errarunt, nisi tantum materialiter, non consentiendo nempe Haeresi, sed formulæ hereticae subscribendo, quam non in Arianorum, sed in Catholicorum sensu, bona fide interpretabantur. Caeterum, dum haec per laudatos Episcopos in praedicto Concilio agebantur, Ecclesia salva semper manebat; quippe cum Pontifice Romano firmus erat totus Clerus illius Dominii; cum S. Hilario tota Gallia; et undique erant qui veram fidem profitebantur. Quapropter falsum omnino est, tunc temporis Ecclesiam totam errasse.

CA-

(a) *Dia'ogo adv. Luciferianos col.* 201.

CAPUT IV.

De veræ Ecclesiæ membris.

§. 136. CUm Ecclesia Catholica sit corpus, ut pluries dictum est, habet proinde et membra; cumque homines qui sunt in terra non ejusdemmoris sint, ejusdemque professionis, et fidei, videndum propterea quinam sint illi, qui ad veram Christi Ecclesiam pertineant, sintque illius membra. Praeter Lutheranos, Calvinistas, aliosque, qui solos praedestinatos, aut justos dicebant esse membra Ecclesiae, non defuerunt alii, qui absurdiora docere sunt ausi. Inter quos Jurius, qui existimat, Ecclesiam Universalem omnes Haereticorum sectas sinu suo complecti, modo in Articulis Fidei fundamentalibus non errent. Verum non ita sentiunt Auctores Catholici.

PROPOSITIO I.

Publici Hæretici non sunt membra Ecclesiæ.

§. 137. PRobatur. Illi non sunt membra Ecclesiæ, qui neque ad ejus animam, neque ad ejus corpus pertinent; Atqui tales sunt publici Hæretici; ergo non sunt membra Ecclesiæ. Probatur min. Hæretici publici, et manifesti illi dicuntur, qui aperte, et pertinaciter aut dogma fidei oppugnant, aut doctrinam profitentur ab Ecclesia damnatam ut hæreticam; Atqui anima Ecclesiæ est Fides interior cum Spe, et Charitate conjuncta, corpus vero est Fidei externa professio, et Sacramentorum susceptio sub eodem legitimo Pastore Romano Pontifice (§. 101.); Ergo si Hæretici Fide interius destituuntur, et exterius doctrinam a Fide Ecclesiæ alienam profitentur, profecto neque ad animam, neque ad Corpus Ecclesiæ pertinent. Deinde illi actu in Ecclesia non sunt, qui de Ecclesia fuisse dicuntur, atque ex ea exisse; Atqui tales sunt Hæretici; de illis enim ait S. Joannes (*a*). *Ex nobis pro-*

(a) *I. Joan. Cap. II. v. 19.*

prodierunt, sed non erant ex nobis; Ergo etc. Tandem, illi membra Ecclesiæ non sunt quorum consortium devitare tenemur; Atqui hujusmodi sunt Hæretici, de illis enim scribens Apostolus ad Titum (a) ait: *Hæreticum hominem post unam, et secundam correptionem devita; sciens quia subversus est, qui ejusmodi est*; Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Hæretici occulti sunt membra Ecclesiæ.

§. 138. PRobatur. Hæretici occulti illi dicuntur, qui licet interius aliquod Fidei dogma rejiciunt, exterius tamen dissimulant errorem, et Fidem eamdem profitentur; de iisdem participant Sacramentis, ac sub legitimi Pastoris cura, et subjectione vivunt; Atqui hoc sufficit ut quis dicatur saltem de corpore Ecclesiæ; Ergo etc.

PRO-

(a) *Cap. III. v. 16.*

Propositio III.

Schismatici non sunt membra Ecclesiæ.

§. 139. Probatur. Vera Christi Ecclesia una est (§. 108.), et omnia ejus membra unum corpus efficiunt, cujus visibile caput est Romanus Pontifex; Atqui Schismatici illi sunt, qui ab aliis fidelibus se separant, et a Romano Pontifice; ergo non sunt Ecclesiæ membra; nam *Ecclesia*, ait S. Cyprianus (*a*): *Ecclesia quæ Catholica et una est, scissa non est, nec divisa.*

Propositio IV.

Excommunicati non sunt membra Ecclesiæ.

§: 140. Probatur ex Scriptura. Christus apud S. Matthæum de peccatore contumaci sic loquitur: *Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, et publi-*

(a) *Epist. 69.*

blicanus (a); Atqui laudatis verbis excomunicatos designat; Ergo sicut Ethnici membra Ecclesiæ non sunt, ita nec etiam excommunicati.

§. 141. Probatur 2. Semper ac Patres de excommunicatis loquuntur, eos ab Ecclesia ejectos adfirmant; ergô etc. Prob. ans. S. Cyprianus (b) excommunicationem appellat gladium spiritualem, quo *superbi; et contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur*. S. Augustinus, nihil aliud dicit esse excommunicari, quam (c) *visibiliter præcidi à corpore Ecclesiæ; ac per excommunicationem separari ab ovibus sanis ovem morbidam, ne per plures serpant dira contagia*; Ergo etc.

§. 142. Tandem probatur ratione. Illi non sunt membra Ecclesiæ pro quibus Ecclesia rogat, ut in sinum suum revertantur; et cum quis eorum conversus fuerit, per suos ministros absolvit, et absolvendo dicit; *Restituo te unitati Ecclesiæ, et membrorum participationi*; At-

---

(a) *Matth. XVIII.*
(b) *Epist. 62. ad Pompo.*
(c) *Lib. de unit. Eccl. Cap. ult.*

Atqui tales sunt excommunicati ; Ergo etc.

Dices. Excommunicatio est pœna medicinalis; Atqui pœna medicinalis non esset, imo venenum lethale, si fidelis ab Ecclesia penitus ejiceretur; ergo etc.

§. 143. ℟. Conc. maj. dist. min. Esset venenum lethale, si nulla spes fideli relinqueretur ad Ecclesiam redeundi, conc., secus, ne: min., et cosm. Fidelis non ideo ob culpam, et suam contumaciam ab Ecclesia separatur ut omnino sit extra omnem salutis spem, et in suis peccatis moriatur; sed ut hac spirituali pœna, in se reversus, emendetur. *Excommunicatus* enim, ait S. Thomas (*a*) *non traditur Satanæ quasi damnandus, sed quasi corrigendus*.

PROPOSITIO V.

Catechumeni actu non sunt membra Ecclesiæ.

§. 144. PRobatur. Catechumeni sunt illi, qui nondum receperunt baptismum, sed in Fide erudiuntur, et per varia pie-

(a) *In supp. Cap. XXI. n. 2. ad 3.*

tatis exercitia ad baptismum suscipiendum disponuntur ; Atqui sine baptismo nullus constituitur Ecclesiæ membrum , quia ut loquitur Florentina Synodus (*a*): *Baptismus vitæ spiritualis janua est ; et per ipsum membra Christi , ac de corpore Ecclesiæ efficimur* ; Ergo etc. Ulterius esto Catechumeni Fidem , et Charitatem profiteantur , non admittuntur tamen ad eorumdem Sacramentorum participationem cum aliis fidelibus , neque de aliis spiritualibus bonis participant, quibus alii fideles potiuntur ; ergo etc.

Propositio VI.

Non solum prædestinati, sed et reprobi sunt membra Ecclesiæ.

§. 145. PRobatur 1. ex Scripturis . Et primo quidem Ecclesia comparatur areæ ; sicut ergo in area frumentum cum paleis commixtum est (*b*), ita et in Ecclesia adsunt frumenta, scilicet prædestinati congregandi in horreum Domini, in Cælum nem-

(a) *Vid. quoq. Trid. Sess. 14. Cap. 2.*
(b) *Matth. Cap. III.*

nempe admittendi, et paleæ, hoc est præsciti tradendi ad comburendum igni, in infernum nempe detrudendi. Secundo comparatur sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti (*a*); sicut ergo in sagena boni pisces, et mali capiuntur, sed postea boni eliguntur in vasa, mali autem foras mittuntur; ita et præsens Ecclesia prædestinatos, et reprobos complectitur; *sed in consummatione sæculi exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis.* Tertio comparatur Ecclesia ovili (*b*); sicut ergo in ovili sunt oves cum hædis, ita in Ecclesia sunt oves, nempe prædestinati, et hædi, hoc est reprobi, et Pastor in fine mundi separabit *oves ab hædis*, et hos statuet a sinistris, illas a dextris collocabit (*c*). Quarto tandem comparatur Convivio nuptiali, de quo fit mentio apud S. Matthæum (*d*); sicut ergo in illo boni, et mali vocati fuerunt, sed postea qui vestem nuptialem non habebant, in tenebras exteriores missi fuerunt; ita etiam in Ecle-

(a) *Matth. Cap. XIII.*
(b) *Ibidem Cap. XXV.*
(c) *Ibidem*
(d) *Ibidem Cap.* XXII.

clesiа boni , et mali sunt ; prædestinati scilicet habentes vestem nuptialem, idest gratiam sanctificantem ; et reprobi ea carentes : nisi quod hi mittentur in infernum; illi ad æternam Agni cœnam in Cœlis gustandam assumentur . Non solum ergo prædestinati, sed etc.

§. 146. Probatur 2. Multi sunt ad gloriam prædestinati, qui modò sunt vel Infideles, vel Hæretici, vel Schismatici, vel peccatores ; et e contra multi sunt reprobi, qui modo sunt justi in Mundo. Quot namque fuerunt, qui cum Saulo persequebantur Ecclesiam Dei, et nihilominus prædestinati erant? quot e contra cum Juda secuti fuerunt Christum, et postea damnati sunt? Aut ergo dicendum Ecclesiam non esse Unam, non Sanctam, sed sylvam frementium bestiarum; Sectarum nempe sibi mutuo contradicentium Infidelium, Hæreticorum, Schismaticorum, et Apostatarum, quod repugnat (§.137. et seq.), aut prædestinatos simul et reprobos ad Ecclesiam pertinere. Tandem per baptismum aditus ad Ecclesiam patet, juxta illud Apostoli ad Galatas (*a*): *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis* ; et sine ipso nemo in

(a) *Cap. III. v. 27.*

in eam intrat, juxta illud Christi Domini (a): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; Atqui ex baptizatis non pauci sunt reprobi; Igitur non solum præ destinati, sed etc.

Argumenta opposita solvuntur.

Objic. Ecclesia Christi dicitur ovile; Atqui in hoc ovile non sunt nisi oves, per quas, docet Augustinus (b) *intelligi eos, quos Dominus per præscientiam suam novit esse suos*; prædestinatos nempe; Ergo etc.

§. 147. ℟. conc. maj., dist. min. Atqui etc., et per oves semper intelliguntur prædestinati, nego min., aliquando conc.; Ergo etc. n. cons. Nomine ovium in sacris Scripturis non semper praedestinati intelliguntur; sed aliquando, imo ordinarie tam prædestinati, quam reprobi. *Iratus est*, ajebat David ad Dominum (c), *furor tuus super oves pascuæ tuæ*. Certe hic per oves pascuæ Dei intelligit Propheta populum Judaicum sub immediata Dei protectione positum. Sed erant ne omnes de illo populo ad æter-

 nam

(a) *Joan. III. v.* 5.
(b) *Tract.* 45. *in Joan.*
(c) *Psal.* 73. *v.* 1.

nam gloriam prædestinati? Haud certe. Deinde dicit Jesus Petro (a): *Pasce oves meas*. Per oves quippe hic solos prædestinatos non significat, sed etiam reprobos. Qui namque pascere debet oves, debet quoque scire quæ sint, easque cognoscere, ut videat quid eis opus sit, quidque ipse agere debeat pro earum regimine; visibiles proinde oves Petro commissæ fuerunt; Atqui prædestinati non cognoscuntur ut tales, nisi a solo Deo, juxta illud Pauli: *cognovit Dominus qui sunt ejus* (b); et nemo potest in hac vita, absque speciali privilegio scire se esse prædestinatum; Ergo et prædestinati, et reprobi curæ Petri a Christo commissi fuerunt; adeoque etc:

Contra. Atqui per oves ovilis Christi, nempe Ecclesiæ, soli prædestinati debent intelligi; Ergo n. r. Prob. subs. Christus laboravit maxime, fuditque sanguinem suum (c), *ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit Sancta, et immaculata*; Atqui hoc esset falsum si

(a) *Joan.* XXI. *v.* 18.
(b) *II. Tim.* 2. *v.* 19.
(c) *Ephes.* I. *v.* 29.

si per oves ovilis ejus intelligerentur etiam reprobi; Ergo etc.

§. 148. ℟. dist. sensum auct. Christus etc. ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam etc., inchoate in terris, et solum complete in Coelis, conc., complete etiam in terris, nego maj. Atqui etc. dist. min. Si loquamur de Ecclesia inchoate gloriosa etc. in terris, nego; si de completa in Cœlis, conc. min., et n. consm. Christus utique sua passione, atque morte obtinuit ut Ecclesiam Sanctam, et immaculatam sibi compararet, at id non ita intelligendum, quasi talis sit complete Ecclesia militans, sed solum Ecclesia triumphans, in qua perfecta pax invenitur absque ulla sorde, vel macula, aut aliquid aliud valens inquinare: Quare Augustinus (*a*) protestatus est, dicens: *Ubicumque Ecclesiam commemoravi non habentem maculam, atque rugam, non sic accipiendum est quasi jam sit, sed quæ præparatur ut sit*. Neque vero ex quo præsens Ecclesia, nonnisi tantum inchoate sit Sancta, immaculata etc. dici potest, eam talem vocari jure non posse; Nam sicuti jure aliqua Civitas dicitur ditissima, et opulenta propter copiam fru-

(a) *Lib. II. Retract. Cap.* 18.

frugum, mercium abbundantiam, et divitum multitudinem, licet in ea multi pauperes, et miserrimi inveniantur; ita et Ecclesia Santa, immaculata, et absque ruga dicitur, propter copiam divinorum charismatum, quæ in ipsa inveniuntur, et dispensantur; propter doctrinæ, et morum puritatem, atque excellentiam, quæ profitetur; propter Sacramentorum Sanctitatem quæ in ipsa ministrantur; et tandem propter vitæ integritatem multorum membrorum; licet in ipsa permulti reprobi reperiantur. Adeoque etc.

Contra. Atqui etiam Ecclesia hujus mundi militans Sancta est; immaculata etc. complete, ut solos prædestinatos complectatur per oves figuratos; Ergo etc. Prob. subs. Ecclesia sæpius vocatur Corpus Christi mysticum; debet ergo assimilari corpori illius physico; Atqui Corpus Christi physicum est undequaque Sanctum et gloriosum, nullam habens sive maculam, sive immunditiam; Ergo et Ecclesia; adeoq. etc.

§. 149. ℟. dist. maj. Ecclesia etc. quoad suum esse formale, conc. maj., quoad esse materiale, subdist: quoad omnia nego, quod aliqua, conc. maj. Ergo etc.

dist.

dist. 1. cons.; quoad omnes ejus partes n., quod aliquas, con.; et concessa min. subs. in sensu distinct., nego consm. Ecclesia utique ut est Corpus Christi mysticum assimilatur ejus Corpori physico, at non quia solos praedestinatos continet; sed aliis de causis. Assimilatur enim in primis quoad esse formale; per Fidem namque, Spem, et Charitatem internam justi unum corpus efficiunt cum Christo, cujus ipse est caput; imo *unus spiritus sunt cum eo* (a). Assimilatur quoque quoad esse materiale, quia sicut in corpore physico multa sunt membra, quæ non eumdem actum habent, omnia tamen ab invicem communicant, eodem cibo nutriuntur, et sub eodem capite vivunt; ita licet multi sint fideles et varii, eamdem fidem nihilominus profitentur; iisdem Sacramentis aluntur, roborantur, perficiuntur, et sub eodem capite adunati, Deo debitum cultum præstant. Ex quo itaque Ecclesia sit corpus mysticum, non infertur solos prædestinatos continere; Quinimo, quia tale, prædestinatorum societas esse nequit. Cum namque prædestinati sint invisibiles, et ignorentur (§. 147.), membra vero Ecclesiæ debeant

(a) *Corinth. VI. v. 17.*

beant esse visibilia; et cognita; (§. 120.) cumque non pauci ex prædestinatis actu esse possint, et sint vel Hæretici publici, vel Schismatici, vel Infideles etc. (§. 146.), si Corpus Christi mysticum ex solis prædestinatis coalesceret, aut nullum esset; aut si esset, actu complecteretur etiam Infideles, Hæreticos, Apostatas etc.; adeoque aut nullam, aut exiguam, imperfectissimamque similitudinem cum Corpore Christi physico haberet. Adeoque etc.

PROPOSITIO VII.

Non solum Justi, sed et Peccatores sive publici, sive occulti sunt membra Ecclesiæ, secundum corpus inspectæ.

§. 150. PRobatur 1. Ecclesia Catholica solet in Sacris Literis, et a Patribus assimilari agro, in quo sinitur crescere triticum et zizania usque ad messem (*a*): Decem virginibus, quarum quinque erant prudentes, quæ habebant oleum, gratiam nempe sanctificantem, aut charitatem (*b*), un-

(a) *Matth. XIII v. 27.*
(b) *Id. Cap. XXV.*

unde et ad nuptias sponsi admissæ fuerunt, et quinque fatuæ, quæ oleo charitatis carentes, foras relictæ manserunt; et aliis rebus (§. 145.); Ergo in Ecclesia sunt boni, et mali, justi et peccatores, isti figurati per zizaniam, et virgines stultas, illi per triticum, et virgines sapientes. Ita interpretatur S. Gregorius (*a*), dicens: *Sancta Ecclesia decem Virginibus similis esse denuntiatur, in qua, quia mali cum bonis, et reprobi cum electis admixti sunt, recte similis Virginibus prudentibus, et fatuis esse perhibetur.*

§. 151. Probatur 2. Illi vere sunt in Ecclesia, qui ab Ecclesia ejici possunt; Atqui peccatores publici ab Ecclesia ejici possunt juxta illud (*b*): *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum . . . . si te non audierit, dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus*; Ergo non solum justi, sed etiam etc. Deinde jubet Dominus ut Prælatos audiamus, neque interim mala eorum opera imitemur, dicens (*c*): *Quæcum-*

(a) *Hom. XII. in Evang.*
[b) *Matth. XVIII. v. 17.*
(c) *Ibid. XXIII. v. 3.*

cumque dixerint vobis servate et facite, secundum autem opera eorum nolite facere; Atqui hoc non diceret si mali Præsules extra Ecclesiam forent; Ergo etc.

§. 152. Probatur tandem auctoritate Patrum, pro quibus unus Augustinus sufficiat, qui loquitur ita (*a*): » Habemus » innumerabilia testimonia, et de commixtione malorum cum bonis in eadem » communione Sacramenti; sicut Judas » ab initio malus inter bonos undecim » conversatus est . . . ex quibus ne longum faciam, pauca commemoro. Est » in Canticis, quod de Sancta Ecclesia » dictum omnis Christianus agnoscit, sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Unde » appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? et easdem unde filias, » nisi propter communionem Sacramentorum »? Ergo etc.

Dices: Ecclesia est Sancta; Ergo sancta sint ejus membra oportet; Adeoque etc.

§. 153. ℟. Ecclesia dicitur Sancta non quia omnia ejus membra sunt sancta; sed alio

(a) *Lib. de unit. Eccl. Cap. XIV.*

alio multiplici ex capite (§. 709.); Non ergo etc.

Contra. Atqui si Ecclesia est Sancta, omnia ejus membra debent esse Sancta; Ergo n. r. Prob. subs. Quicumque sunt membra Ecclesiæ, sunt filii Dei; *quotquot* namque, ait Joannes (*a*), *receperunt eum*, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*; Atqui peccatores sunt filii diaboli, et ejus membra, juxta illud Domini (*b*): *vos ex Patre diabolo estis*; Ergo etc. Adeoque etc.

§. 154. ℞. dist. maj. Quicumque etc. secundum suum esse formale (§. 101.) sunt filii Dei, conc., secus, nego maj. Atqui etc., dist. min. Sunt filii diaboli quia vitiis inquinati, charitate orbantur, conc. secus nego min., et dist. 1. cons. Ergo non sunt membra Ecclesiæ quoad animam, conc.; quoad corpus nego; Adeoq. nego ult. consm. Omnes illi qui gratia sanctificante ornantur, dicuntur, et sunt revera filii Dei, et membra sunt Ecclesiæ quoad ejus animam, et corpus. Peccatores autem, quia per culpam hoc Dei donum non possident, et vitiis inquinati sunt, filii diaboli, et ejus membra vocan-

---

(a) *Joan. I. v. 12.*
(b) *Ib. VIII v. 64.*

cantur. At nihil vetat quominus etiam filii Dei, et membra Ecclesiæ vocari possint, et sint, saltem quoad ejus corpus; Ipsi namque eamdem Fidem profitentur, eamdem Sacramentorum communionem habent, et sub eodem capite Romano Pontifice sunt. Quare eos filios appellat Ecclesia, appellat Dominus, licet discolos, et ingratos. Hinc coqueritur Deus apud Isajam Prophetam, dicens (a): *filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. Et in Canticis (b): *filii matris meæ pugnaverunt contra me*; Quod et clarius ostendit Christus, cum sanaturus Paralyticum, dixit illi (c): *Confide fili, remittuntur tibi peccata*. Peccator itaque erat ille, et adhuc filius vocatur; Ergo etc.

CA-

(a) *Cap. I. v. 2.*
(b) *Cantic. I. v. 2.*
(c) *Matth. IX. v. 2.*

Caput V.

De distinctione membrorum Ecclesiæ.

§. 155. Inter membra Ecclesiæ distinctionem aliquam esse debere certum est. Ipsa namque (*a*) comparatur corpori; sicut ergo in uno corpore sunt multa, et diversa membra ad diversos usus, et necessitates destinata; et alia quidem nobiliora, ignobiliora alia; ita et in Ecclesia. Comparatur domui, sicut ergo (*b*) in domo sunt multa vasa; quædam argentea, quædam aurea, quædam fictilia; atque inter hæc, alia destinata ad usum honorificum, in contumeliosum alia, ita et in Ecclesia. Comparatur tandem aciei castrorum ordinatæ (*c*), in qua sunt milites equites, et pedites; magni Duces; equitum magistri, peditum præfecti, Chiliarchi, Officiales, Decuriones, etc., ita et in Ecclesia. Quare D. Paulus ad Corinthios scribens (*d*) ait: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia,* m *pri-*

(a) *Roman. XII. 6.*
(b) *II. ad Timoth. II. v. 20.*
(c) *Cant. VI. n. 3.*
(d) *I. Corinth. Cap. XII.*

primum quidem Apostolos , secundo Prophetas ; tertio Doctores : deinde virtutes , exinde gratia curationum, opitulationes , gubernationes , genera linguarum , interpretationes sermonum . Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? Verum Heterodoxi nullam distinctionem faciunt inter Ecclesiæ membra , voluntque omnes tam Clericos , quam Laicos ejusdem conditionis , et dignitatis esse inter se ; omnes æqualiter esse Sacerdotes , omnes Evangelii ministros . Quod si differre dicuntur , id esse ex hominum arbitrio , et institutione . Ita Wiclefus , Valdenses , Lutherus , Calvinus , eorumque gregales . Præter hos Aerius , teste S. Epiphanio (*a*), Albigenses , Salmasius , Blondellus , aliique de Calviniana familia , docuerunt Episcopos et Presbyteros æquales esse inter se cum ordine , tum jurisdictione . Contra quos stant Catholici (*b*), qui tuentur prout sequitur.

PRO-

(a) *Hæresi* 75.

(b) Bellarm. *Controv. II. Gen. Lib. I. Cap. I.* Boucat *Tom. VIII. Dissert. VI. art.* 1. Julius Laurent. Selvag. *Tom. I. Antiq. Christ. Lib. I. Cap. XI.* §. 11. *etc.*

PROPOSITIO I.

Presbyteri in vera Christi Ecclesia, jure Divino a Laicis secernuntur.

§. 156. PRobatur. Illi jure Divino ab aliis secernuntur, qui ex Scripturis peculiari ratione a Deo vocantur, et Deo consecrantur; qui peculiarem habent supra alios potestatem; quique, ut alia taceam, aliorum sunt Pastores, et Doctores; ministri Domini, et dispensatores ministeriorum Dei; Atqui tales sunt Presbyteri; igitur etc. Prob. min. quoad singulas ejus partes. Et ad primam quod attinet; *Nemo*, ait Apostolus (*a*), *assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo*. Quare in Actis Apostolorum (*b*) cum mentio fit de Saulo, et Barnaba ad opus presbyterii assumptis, sic dicitur: *ministrantibus illis, et jejunantibus, dixit illis Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum, et Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos*. En primo Presbyteros a Deo vocatos, specialiter, et ab aliis segregatos; sequitur: *Tunc jeju-*

 nan-

(a) *Heb. V. v.* 4.
(b) *Cap.* XIII. *v.* 2. 3.

nantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt illos. En 2. Præsbyteros peculiari ratione Deo consecratos: Atqui non sic alii de popolo a Deo vocantur, et Deo consecrantur; Ergo etc. Quoad secundam: Presbyteri duas habent maximas potestates, primam nempe supra Corpus Christi physicum; idest consecrandi Corpus, et Sanguinem Domini, atque aliis dispensandi, secundam super corpus ejusdem mysticum, remittendi nempe, aut retinendi peccata; et utramque a Domino acceperunt; primam in ultima Coena, cum Christus suos Apostolos Sacerdotes ordinavit, et dixit illis (a): *hoc facite in meam commemorationem*; secundam cum post Resurrectionem suam apparens discipulis (b); *insufflavit, et dixit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, etc.* Atqui nullam ex his potestatibus habent Laici; Ergo etc. Quoad tertiam denique; quod nempe Presbyteri sunt animarum Pastores, et Doctores, ministri Dei, et dispensatores ministeriorum Dei, omnino certum est. Et sane quod

(a) *I. ad Cor. Cap.* XI. *v.* 27.
(b) *Joan.* XX. *v.* 12.

quod sint Pastores, patet ex Apostolo (*a*), qui Episcopos alloquens, ait: *Attendite vobis, et universo gregi, etc.* Quod sint Doctores, patet ex verbis Domini (*b*): *Euntes docete omnes gentes ..... docentes servare omnia, quæcumque mandavi vobis*; quod autem sint ministri Dei etc., patet ex D. Paulo, qui (*c*) ait: *Idoneos nos fecit ministros*; et (*d*) *sic nos existimet homo tamquam Dei ministros, et dispensatores ministeriorum Dei*; Atqui Laici nihil hujusmodi sunt; imo potius sunt oves, et discipuli; ergo etc. Atque hæc adeo vera sunt, et rectæ rationis principiis consona, ut vel ipsi Gentiles, maximi semper fecerint suorum, licet inanium Deorum, Sacerdotes, illosque a Laicis segregatos putarint, singulari in honore præ aliis habendos.

(a) *Act. XX. v.* 28.
(b) *Matt. ult. v.* 19.
(c) *II. Corinth. III. v.* 5.
(d) *I. ad Corinth. Cap. IV. v.* 1.

Propositio II.

Episcopi jure divino sunt Presbyteris superiores.

§. 157. Probatur 1. ex Scripturis. Et 1. in Actibus Apostolorum (*a*) habetur, Presbyterorum, non secus ac Diaconorum ordinationem ab Apostolis peractam fuisse, legitur enim: *Cum constituissent* (Paulus, et Barnabas) *per singulas Ecclesias Presbyteros*; et Paulus ad Titum (*b*) scribit: *Reliqui te Crete, ut constituas Presbyteros*. Secundo: monet omnes Apostolus, ut Præpositis obediant, dicens (*c*): *obedite præpositis vestris, et subjacete eis*; et Episcopos alloquens admonet, ut proprio munere recte fungantur, dicens (*d*): *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Tertio: idem Apostolus, Timotheum hortatur, dicens (*e*): *Ad-*

(a) *Actor.* XIV. *v.* 22.
(b) *Cap. I. v.* 5.
(c) *Ad Heb. Cap.* XIII. *v.* 17.
(d) *Actor. XX. v.* 28.
(e) *Cap. V. v.* 19.

Adversus Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus, aut tribus testibus. His positis, en argumentum. Illi sunt Presbyteris superiores, qui super Presbyteros exercent potestatem ordinis, eos ordinando; potestatem jurisdictionis illis imperando, et tandem potestatem judicialem illos judicando, et puniendo; Atqui ex allatis Sacræ Scripturæ testimoniis, Episcopi, qui locum Apostolorum tenent in Ecclesia, hanc triplicem potestatem super Presbyteros exercent; Ergo etc.

§. 158. Probatur 2. ex Concilio Tridentino, in quo (a) ita legitur: *Sacrosancta Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos; sicut idem Apostolus ait, a Spirito Sancto, regere Ecclesiam Dei; eosque Presbyteris superiores esse; ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*. Et iterum, ita defi-

(a) *Sess. XXIV. Cap. IV.*

niendo, rem totam confecit (a): *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, et ordinandi: vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem etc., anathema sit* (b).

Quæres: *Utrum Supremis Ecclesiæ Pastoribus jus a Deo concessum sit præcipiendi, et ferendi Leges?*

§. 159. R/. affirmative. Nam ipsis a Deo potestas facta fuit pascendi fideles, atque Ecclesiam regendi: ait namque Christus Petro (c): *Pasce oves meas*; et Petrus (d) aliis Prælatis, dixit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*. Paulus quoque inquit (e): ***Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei***; Atqui sine legibus, et præceptis neque possent Pastores oves pascere, neque Ecclesiam regere; ergo etc. Sane præcipitur ovibus ut Pastoris vocem audiant sub anathematis pœna: ***si Ecclesiam***

(a) *Can. VII.*

(b) *Præter Auct. laud.* (§. 155.) *leg.* Berti *Lib. XXXVI. de Theol. Discip.* *Cap.* XI. Honorat. Tournely *Tomo X. pag.* 171.

(c) *Joan. ultimo v.* 15. *et seq.*

(d) *I. Petri Cap. V v.* 2.

(e) *Actor. XX. v.* 28.

siam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus (*a*); praescribitur a Christo, ut (*b*) sedentibus super Cathedram Moysi honor habeatur faciendo, et servando quæcumque illi dixerint. Hæc autem omnia quomodo stare possent si summis Ecclesiæ Pastoribus a Deo jus factum non esset ferendi leges obligantes? Deinde, uti habetur in Actibus Apostolorum (*c*), Præsides simul Jerosolimis congregati, dixerunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis nihil ultra vobis imponere oneris*; Potestatem ergo habebant illis aliquid oneris ultra imponendi. De facto plura ab Apostolis præcepta sunt fidelibus; præ cæteris Paulus statuit (*d*), ut bigamus non fieret Episcopus: Ut mulieres orarent velato capite propter Angelos (*e*); ut vidua eligeretur non minus sexaginta annorum (*f*), etc. atque Corinthios laudat quod præcepta ejus tenerent (*g*). Imo in Actibus Apo-

sto-

(a) *Matth. XVIII. v.* 17.
(b) *Ibid.* XXIII. *v.* 1.
(c) *Actor. XV. v.* 28.
(d) *I. ad Timoth. Cap. III. v.* 2.
(e) *I. Corinth. XI. v.* 10.
(f) *I. ad Timoth. Cap. V. v.* 9.
(g) *I. Corinth. Cap. XI. v.* 2.

stolorum (*a*) legitur, quod *perambulabat Syriam, et Ciliciam confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, et Seniorum*. Ergo etc. Tandem laudatus Apostolus, ait (*b*) omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse; idque non propter iram, sed propter conscientiam; quia omnis potestas est a Deo; Atqui Supremi Ecclesiæ Pastores super fideles a Deo obtenent potestatem; Ergo fideles debent eis propter conscientiam obtemperare; adeoque etc.

TRA-

(a) *Actor. XV. v.* 41.
(b) *Rom. XIII. v.* 1.

TRACTATUS IV.

De Romano Pontifice, Conciliis, ac reliquis Theologicis Locis.

§. 160. COmpleto Redemptionis humanæ opere Christus Dominus ascensurus in Coelum, cum dilexisset Ecclesiam, in finem dilexit eam. Etsi propterea omnem ei auxilium promisisset, quo obsistentibus licet inferi portis, usque ad finem Mundi salva, et firma consisteret, tamen quoniam ipsa visibilis est, et visibiliter regi debet, ne suo abscessu viduata visibili sposo, et capite orbata remaneret, constituto illius Primate, et capite Petro, super illum, veluti supra firmissimam petram ædificavit. Quod quidem quanto studio, quantaque cordis effusione fecerit, vel ex eo patet, quod traditurus Petro hanc suam Ecclesiam, iterum ac tertio illum interrogavit, an ipsum ex toto corde, et sincere plus omnibus aliis discipulis diligeret. Petrus itaque Ecclesiæ Primatum a Christo acceptum tenuit, rexitque sibi oves concreditas; quo decedente et alius suffectus fuit, sicque deinceps, usque ad præsentem diem. At

Hæ-

Hæretici Wiclefus præsertim, Lutherus, Calvinus, pro suo quoque exasperato genio in Ecclesiam, et ejus Caput, quas blasphemias ex infernali ore adversus Pontificem non proferunt? Quot cachinnis S. Sedem non excipiunt? Unde ut os obstruatur loquentium iniqua, distinctis Capitibus Petri Primatum super alios Apostolos in Ecclesiæ regimine, et quæ de Romano Pontifice ejus successore, scienda sunt exponemus, et vindicabimus.

Caput I.

De S. Petri primatu in universam Ecclesiam.

§. 162. PRimatus, quod ad rem attinet, duplex est, *honoris* nempe, et *Jurisdictionis*. Primatus *honoris* est ille, quo aliquis inter alios æquales primum quidem locum obtinet, sed nullam auctoritatem. Primatus vero *jurisdictionis* est ille, quo aliquis auctoritate, et potestate aliis superior constituitur. Atque hunc primatum Hæretici D. Petro, aliisque Summis Pontificibus negant.

PRO-

PROPOSITIO

S. Petrus a Christo Domino constitutus fuit totius Ecclesiæ Caput, ita ut in ea Primatum auctoritatis, et jurisdictionis habuerit.

§. 162. PRobatur ex Scripturis. Et primo quidem, cum Christus Apostolos interrogasset (a), ut sibi narrarent, quem homines dicebant eum esse, atque illi respondissent, alios dicere eum esse Eliam, alios esse Jeremiam, aut unum ex Prophetis; interrogavit postea eos, ut dicerent quid ipsi de se sentirent, statim Petrus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi*, cui subjunxit Christus .... *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris etc.* Ex quibus duo potissimum notanda sunt: Primum, Petrum Apostolum præ aliis discipulis a Deo illustratum fuisse ut cognosceret, et confiteretur Christi divinitatem; id patet maxime ex verbis illis Domini: *Beatus es Simon Barjona, quia*

(a) *Matth. Cap. XVI. v. 12.*

quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est; secundum: laudata promissione fundandi super ipsum Ecclesiam, et dandi ei claves Regni Coelorum, Christum voluisse eum præ aliis in Primatu distinguere. Promissio namque isthæc Christi fuit præmium quod Petrus obtinuit de sua confessione, juxta D. Hieronymum dicentem (*a*): *mercedem recepit vera confessio*. Quibus positis et notatis, en argumentum: Ille a Jesu Christo totius Ecclesiæ caput, et Primas super omnes quoque alios Apostolos constitutus fuit, qui fuit ab eo declaratus peculiare fundamentum, et fulcrum Ecclesiæ, ab eo recepit claves Ecclesiæ, et Regni Coelorum; idque in præmium suæ fidei, et confessionis; Atqui talis est, ex dictis, S. Petrus; ergo etc. Secundo Christus coram omnibus aliis Apostolis, Petrum ter nominatim interrogavit, an ipsum amore plus cæteris prosequeretur; respondente Petro, se eum vere amare, Christus singulis responsionibus subjunxit: *pasce agnos meos*, *pasce oves meas*. Ex quibus sic argumentor. Christus jam sicuti cæteris Apostolis, ita et Petro potestatem dederat juris-di-

(a) *In hunc locum*.

dictionis in Ecclesia, eosque dixerat se mittere sicut ipse a Patre missus fuerat. Si ergo nihil peculiare Petro, ut Petro concedere volebat, quid opus fuit eum peculiariter de amore interrogare, et ita impense ei præscribere ut suas oves, suosque agnos pasceret? Atqui taliter se gessit Christus erga S. Petrum; ergo peculiari jure Primatum ei dedit in sua Ecclesia, et supra cæteros quoque Apostolos. Et propterea etc.

§. 163. Probatur 2. ex Patribus. Origenes (a) ait, *summam rerum de pascendis ovibus Petro traditam fuisse, et super ipsum, velut super petram fundatam esse Ecclesiam*. S. Cyrillus Alexandrinus (b); *Præ aliis*, inquit, *emicat ille cæterorum caput, ac Princeps, et ait: Tu es Christus Filii Dei vivi*. S. Ambrosius (c): *Quod solus*, inquit, *profitetur, omnibus antefertur*. Et alibi (d): *Primatum*, inquit, *non accepit Andreas, sed Petrus*. S. Augustinus tandem, ut alios taceam (e): *Petrus*,

(a) *In Cap. VI. Epist. ad Rom.*
(b) *Lib. XII. in Joan.*
(c) *In Cap. ult. S. Lucæ.*
(d) *In Cap. XII. Epist. II. ad Corinth.*
(e) *Serm. XIII., nunc 76. In verbis Dom.*

trus, ait, *a petra cognominatus beatus*, *Ecclesiæ figuram portans*, *Apostolatus principatum tenens*. Ergo etc.

Objecta Hæreticorum solvuntur.

Objic. Ideo asseritur Petrum a Christo fuisse caput totius Ecclesiæ constitutum, quia Christus dixit ei, uti legitur apud S. Matthæum (*a*): *Tu es Petrus*, *et super hanc Petram etc.* Atqui hoc nullius est roboris; Ergo falsa propositio. Probatur min. Aliquid roboris ad ostendendum Petri Primatum haberet, quod laudato loco dicitur, si per petram super quam Christus despondit se ædificaturum Ecclesiam intelligeretur persona Petri; Atqui per petram SS. Patres non intelligunt Petri personam, sed vel fideles omnes, ut vult Origenes (*b*), vel omnes Apostolos, aut Jesum Christum, uti Augustinus (*c*); vel tandem ipsam fidei confessionem, a S. Petro emissam, uti Hilarius (*d*), Ambrosius (*e*), et Epiphanius (*f*); Ergo etc.

§. 164.

(a) *Cap.* 16.
(b) *Tract.* 1. *in Matth.*
(c) *Tract.* 124. *in Joan.*
(d) *Lib. VI. de Trinit.*
(e) *Lib. VI. in Luc.*
(f) *Haeresi* 59.

§. 164. ℟. conc. maj., dist. min. Et citati Patres, his interpretationibus negant ea verba ad Petrum pertinere, nego min., secus, conc. min., et n. consm. Quoties SS. Patres laudata Christi verba explicant, de persona Petri dicta esse fatentur. Sane Origenes de S. Petro loquens (§. 162.): *super ipsum*, ait, *veluti super petram fundatam esse Ecclesiam*; et Augustinus, *Petrum a petra cognominatum esse* asserit. Idipsum patet ex S. Hilario, Chrysostomo, Cyrillo Alexandrino, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Cypriano, Leone Papa, etc. Quod si ad aliud aliquid significandum nomen petræ transferunt, clarum est, eos non velle derogare auctoritati Principis Apostolorum.

Contra. Atqui per petram, laudato in loco, nec Petrum intelligunt Patres, nec intelligere possunt; Ergo n. r. Prob. subsm. Christus in Scripturis ille est qui dicitur petra, juxta illud Apostoli (a): *Petra autem erat Christus*; ergo per petram etc., alias injuriam Christo facerent; quod esse nequit.

§. 165. ℟. dist. maj. Christus etc., petra principalis, ita ut excludat quamcumque aliam petram secundariam, n. ant.,

n se-

(a) *I. Corinth.* X. v. 6.

secus, conc., et nego consm. Christus utique est petra illa firmissima supra quam primario fundata est Ecclesia, et sine qua, *fundamentum aliud*, ait Apostolus (a), *nemo ponere potest*, neque potest spirituale ædificium subsistere. At Ecclesia est visibilis, et visibiliter usque ad finem Mundi perdurare debebat, et gubernari, unde opus erat visibili capite, et petra, licet post Christum secundaria, quæ basis foret, et fundamentum visibilis Ecclesiæ. Petra igitur, et Ecclesiæ fundamentum est Christus, petra quoque, et Ecclesiæ fundamentum est Petrus; hic secundarium, ille primarium.

Contra. Ex concessis, Petrus est petra, et fundamentum secundarium; Ergo nomen petræ non ita est datum Petro, ut primatum obtinuerit supra cæteros Apostolos. Prob. min. Omnes Apostoli in Sacris literis dicuntur Ecclesiæ fundamenta, secundaria quidem, unde Paulus ad Ephesios scribens, ait (b): *superædificati super fundamentum Apostolorum, etc.* Ergo si ex concessis Pètrus est fundamentum secundarium Ecclesiæ, nihil dif-

(a) *I. Corinth. Cap. III. v.* 11.
(b) *Ephes. Cap. II. v.* 20.

differt ab aliis Apostolis ; adeoque nomen petræ etc.

§. 166. ℟. neg. utramque consm. Quamvis Apostoli recte dicantur et sint Ecclesiæ fundamenta, et quia omnes plenitudinis potestatem a Jesu Christo obtinuerunt, et quia Ecclesiam per totum orbem fundarunt, non ideo dicendum est Petrum nullum habuisse primatum super eos. Siquidem ascenso Christo in Coelis, sine capite, cum quo omnes conjungerentur, et a quo ipsi penderent esse non poterant : Unde, *Licet super omnes Apostolos*, ait S. Hieronymus (*a*), *ex æquo Ecclesiæ fortitudo solidatur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tolleretur occasio*. Sunt ergo omnes Apostoli Ecclesiæ fundamenta, non tamen eodem modo ac Petrus, sed post Petrum, sicuti Petrus est Ecclesiæ fundamentum sed post Christum (*b*).

Quæres. *Utrum S. Petro privilegium*

(a) *Lib. I adv. Jovinian. Tom.4. par.2.pag.168.*

(b) *Vid.* Bellarm. *Contr. III. Lib. I Cap.* 10. Franc. Henno *Tom. I. Tract. II. Disp.* 2. *quæst.*4. *art.* 1. Tournely *Tom. V. quæst. V. art.* 1. Antoine *Tom. I. Cap. V. art.* 1. Suarez *Tract. I. de fide Theolog. Disp. X. sect. I.* Boucat *Tom. V. Dissert. de Summ. Pont. art.* 2.

gium concessum fuerit infallibilitatis in controversis fidei, et morum?

§. 167. ℟. aff. Nam 1. D. Petrus constitutus fuit a Deo Pastor fidelium juxta cor suum: Ergo ut bonus Pastor debebat sedulo eos pascere scientia, et sana doctrina; Atqui nisi privilegium infallibilitatis obtinuisset, id nunquam potuisset præstare; ergo Petrus etc. Deinde dixit Christus (§.161.), se super Petrum, veluti supra firmissimam petram, ædificaturum Ecclesiam suam, ita ut inferi portæ nunquam fuissent adversus eam prævaliluræ, seque illi traditurum claves Regni Coelorum, adeo ut quæcumque ille ligasset super terram, ipse ligaturus foret in Cœlis, et quodcumque retinuisset, ipse quoque esset retenturus; Atqui si Christus Petro infallibitatem non concessisset, non esset ille petra firmissima, sed debilis; portæ Inferi prævalere possent contra Ecclesiam; nec fieri posset ut quod vel solvisset, vel ligasset Petrus, ita quoque haberetur in Cœlis; Ergo etc. Et sane, idem est fundamentum in ædificio, ac Petrus in Ecclesia; sicuti ergo si fundamentum est debile, non diu subsistit ædificium, ita si Petrus fuisset fallibilis in doctrina fidei, et morum, Eccle-

clesia diu non perdurasset; Rursus; Portas Inferi adversus Ecclesiam non prævalere, nihil aliud est, SS. Patrum judicio (*a*), quam tanta divinitus soliditate munitam esse, *ut eam neque hæretica unquam perrumpere pravitas, nec Pagana potuerit superare perfidia*; Atqui si Petrus in controversiis fidei et morum errare potuisset, Ecclesiam hæretica pravitas perrumpere potuisset, et Pagana perfidia superare; Ergo et portæ Inferi contra Ecclesiam prævalere; sed hoc esse nequit; Ergo etc. Tandem si D. Petrus infallibilis non fuisset, potuisset aut solvere quæ retinenda essent, aut retinere quæ debuisset solvere; Aut ergo Deus staret in Cœlis tali judicio Petri, et tunc falsitatem, atque errorem approbaret; aut ei contrairet, et fidelis non esset in suis verbis, et promissis; Atqui utrumque hoc est falsum (§. 19.); Ego S. Petro privilegium etc.

(a) *Lib. I. in Jovinian.*
(b) S. Leo *Serm. II. Cap. III.*

Caput II.

De suprema potestate Petri ad Romanos Pontifices transmissa.

§. 168. Sicuti Christo in Cœlum abeunti S. Petrus suflectus fuit, et Ecclesiæ gubernium suscepit, atque per plures annos sancte, et laudabiliter tenuit, ita mortuo ipso, alter in ejus locum substitui necesse erat. Neque enim corpus sine capite vivit, neque grex sine pastore salvus est; neque ædificium absque fundamento diu consistere potest; neque ergo Ecclesia sine visibili capite, legitimo Pastore, atque solido fundamento debuit esse relicta. Successor ergo Petro datus fuit ad Ecclesiam regendam; sed quis sit Petri successor, et qui habeat collata illi a Jesu privilegia, non conveniunt cum Catholicis Hæretici (§. 160.); quare ut veluti sponte sua fluat Catholica Conclusio, sit.

Pro-

PROPOSITIO I.

S. Petrus Romæ fuit, atque Romanam Ecclesiam fundavit.

§. 169. PRobatur. S. Petrus concludens suam primam Epistolam, quam ad universam Ecclesiam direxit, ita loquitur (a): *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.* Ergo his verbis duo innuit; 1. se fuisse Romæ, atque 2. ibi jam Ecclesiam fundasse. Et sane, quod nomine Babylonis hic Petrus Romam intelligat, testis est Papias Apostolorum discipulus, qui referente Eusebio (b), *hoc dicit, quod Petrus in prima Epistola sua, quam de urbe Roma scripsit, meminerit Marci, in qua tropice Romam Babyloniam nominavit cum dicit: Salutat vos, ea quæ est in Babylone collecta Ecclesia.* Quod autem Ecclesiam ipse fundaverit, patet ex hoc ipso, quod ibi de Ecclesia jam Romæ collecta, et existenti loquitur, quæ sane a nullo alio, quam a seipso fundata esse posuit. Nullibi namque legi-

(a) *I. Petri Cap. V. v. 13.*
(b) *Lib. VII. Cap. II.*

gitur, aliquem Apostolorum ante S. Petrum Romam pervenisse, ibique Ecclesiam fundasse; *sed salutaris prædicationis verbo*, scribit Eusebius (a), *primus in Urbe Roma Evangelii sui Clavibus januam regni cœlestis aperuit*. Quod si primi, inquit Epiphanius (b), *in Roma fuerint Petrus, et Paulus*, non ita accipiendum est, quasi simul venerint, sed quod cæteros præcesserint, primo Petrus, anno nempe circiter 2. Claudii Imperatoris, postea Paulus, scilicet anno tertio Neronis adhuc fluente, quindecim nempe post annos, ex quo Petrus Romam primum appulerat, ibique suam sedem collocarat (c).

Pro-

(a) *Lib. II. Hist. Cap. 74.*
(b) *Hæresi 24. quæ est Corpocratis.*
(c) *Tirini Comm. in Cap. XXVIII. Act. Apost. n. 16.*

PROPOSITIO II.

S. Petrus Romæ obiit, atque ad mortem usque fuit Romæ Episcopus, et Universam Ecclesiam gubernavit.

§. 170. PRobatur traditione. Dionysius Corinthius de Petro, et Paulo loquens; *ambo*, ait (*a*), *in hac Urbe* (Roma) *simul docentes, etiam martyrio pariter, uno eodemque tempore coronati sunt*. Eusebius (*b*): *Primus*, inquit, *Nero super omnia scelera sua etiam persequutionem in Christianos facit, in qua Petrus, et Paulus gloriose Romæ occubuerunt*. Idipsum habet Eutropius (*c*). Origenes (*d*): *Et Petrus*, inquit, *ad ultimum in Urbe Roma commoratus, ibi et crucifixus est deorsum capite demerso*. S. Hieronymus (*e*): *Simon Petrus*, inquit, *ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique 25. an-*

(a) *Apud Euseb. Lib. II. Hist. Cap. 25.*
(b) *In Chronico an. 72. a Christ. nato.*
(c) *Lib. VI. in Vita Neronis.*
(d) *Lib. III. in Genesim.*
(e) *De viris illustribus in Petro.*

annis Cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum , idest 14. *Neronis annum, a quo et affixus cruci , martyrio coronatus est , capite ad terram verso* . S. Maximus (*a*) : *Petrus* , inquit, *et Paulus martyrium pertulerunt in Urbe Roma, quæ principatum , et caput obtinet nationum* . Hoc ipsum adfirmant Patres alii permulti , quos citat, et sequitur Bellarminus (*b*) ; Ergo etc.

§. 172. Probatur 2. pars , etiam traditione . Eusebius namque ita scribit (*c*) *Petrus natione Galilæus Christianorum Pontifex, cum primum Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans* , 25. *annis ejusdem Urbis Episcopus perseverat* . S. Ambrosius (*d*): *Utique*, inquit, *ipse auctor est nobis hujus assertionis Petrus Apostolus , qui sacerdos fuit Ecclesiæ Romanæ* . Prosper (*e*) ita cecinit de Petro verba faciens :

Sedes Roma Petri , quæ pastoralis honoris .

Fa-

(a) *Serm. V. de Nativ. Apost.*
(b) *Contro. III Lib. I. Cap.* 3.
(c) *In Chron. anni* 44.
(d) *Lib. III. de Sacram. Cap. I.*
(e) *Lib. de ingratis* .

Facta caput Mundo; etc.

Isidorus in vita Petri scribit ita: *Hic postquam Antiochenam Ecclesiam fundavit, sub Claudio Cæsare contra Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans Evangelium, vigintiquinque annis ejusdem tenuit Pontificatum*; Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Mortuo S. Petro alius successit in regimine Ecclesiæ, non solum ut Episcopus Romæ, sed ut Summus Pontifex totius Ecclesiae loco ejus.

§. 172. PRobatur Traditione. S. Epiphanius de Pontificum successione a S. Petro loquens, ita scribit (*a*): *Episcoporum in Roma successio hanc consequentiam habuit, Petrus et Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Evaristus, Alexander, etc.* Similiter loquuntur omnes illi qui Pontificum Romanorum Catalogum conficiunt (*b*); Ergo etc. Et re quidem ve-

(b) *Hæresi 27. quæ est Carpocratis.*

(a) *Vid.* Berti *Lib. V. de Teolog. etc. Cap. I. Controv.*

vera, si Petro alius non successisset, nedum in Episcopatu, sed in Primatu totius Ecclesiæ, Ecclesia absque capite permansisset; grex sine pastore; ideoque defecisset; atqui hoc est contra Christi promissionem Ecclesiæ factam, (§. 127.), eam nempe usque ad finem Mundi fore duraturam; ergo etc.

Conclusio

Romanus Pontifex est verus Petri successor, habetque illi a Christo concessa Privilegia.

§. 173. PRob. 1. pars. S. Petrus fuit Universalis Ecclesiæ Primas, et Pastor (§. 162.); Romam venit, ibique Ecclesiam fundavit Romanam (§. 169.); eamque rexit ad mortem usque, quam ibidem oppetiit (§. 170.). Post ejus mortem successorem habuit, qui ejus vices gereret; et ita deinceps (§. 172.); Hic autem successor est Episcopus Romanus; Ergo etc.

§. 174. Probatur 2. Conciliorum definitionibus. Ac primo quidem Concilium Ni-

Nicænum (a) hæc habet : *qui tenet sedem Romanam, caput est, et Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipse est primus, sicut Petrus, ut qui sit Vicarius Christi super cunctos populos, et cunctam Ecclesiam Christianam, qui contradixerit a Synodo excommunicatur.* Concilium Ephesinum (b): *In omnibus sæculis notum est*, inquit, *quod S. Petrus Apostolorum Princeps, a Christo Claves regni accepit, qui ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet*. Tandem, ut brevitati præfixæ consulatur, Concilium Florentinum (c) ita rem totam conficit : » Definimus Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem » in universum orbem tenere Primatum, » et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, totiusque Ecclesiæ Caput, et » omnium Christianorum Patrem, ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro, » pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro » Jesu Christo plenam potestatem tradi-

» tam

(a) *Apud Alphonsum Pisanum Lib. III. Can. 39.*
(b) *Parte II. Act. 3.*
(c) *In Const. Eug. IV.*

» tam esse, quemadmodum etiam in ge-
» stis Œcumenicorum Conciliorum, et in
» sacris Canonibus continetur (*a*).

§. 175. Probatur 2. pars. Ille habet privilegia Petro a Jesu Christo concessa, qui in regimine Universalis Ecclesiæ est verus Petri successor; Atqui Petri successor est Romanus Pontifex (§. 173. 174.); Ergo etc. Rursus: Ideo Christus voluit Petro successorem dare, quia nolebat Ecclesiam esse sine Pastore, Capite, Magistro ac Duce usque ad finem Mundi; Sicuti ergo dixit Petro: *Pasce oves meas, pasce agnos meos: tibi dabo claves regni Cælorum: quodocumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cælo, et quod solveris super terram, etc.*, ita et dixit Romanis Pontificibus; Ergo etc.

CA-

(a) *Vide plura fusius apud* Suarez *Tomo I. Disp.* X. *sect* 2. Antoine *Tom. I. Tract de Fide Cap. V. art.* 2. Boucat *Tomo. V. dissert. unica art.* 3. Henno *Tomo I. Tract. II. Disp.* 2. Boyvin *Tomo IV. disp.* 1. *v.* 7. *sed præcipue* Bellarm. *T. I. Controv. III. Lib. II. Cap.* 12.

Caput II.

De Infallibilitate Romani Pontificis in definiendis rebus Fidei, et morum.

§. 176. In duplici aspectu, quod ad rem attinet præsentem considerari potest Pontifex Romanus, et ut persona nempe privata, vel doctor privatus, et ut Papa, Vicarius nempe Christi, animarum omnium fidelium Pastor, et Magister. Tunc dicitur Pontifex, ut persona privata aliquid decidere, atque definire, cum propria mente librum aliquem componit, aut interpretatur, in eoque suam opinionem exponit, quæstionem pertractat, etc., quin aliquid pontificia potestate decernat, vel credendum, vel agendum. Loqui vero ut Papa, et Vicarius Christi, seu, ut dicunt, *ex Cathedra*, tunc dicitur, cum adjuncto cœtu solito consiliariorum, præcibus præmissis, atque Sancti Spiritus invocata assistentia, aliquid de fide credendum, vel præceptum aliquod Ecclesiæ proponit observandum. In hoc secundo sensu loquimur modo de Romano Pontifice.

Pro-

Propositio I.

Romanus Pontifex ex Cathedra loquens, in illis, quæ Fidei, et morum sunt errare nequit.

§. 277. Probatur 1. Romanus Pontifex est Petri successor (§. 173.); Atqui S. Petrus a Jesu Christo privilegium infallibilitatis obtinuit (§. 167.); Ergo et Summus Pontifex; adeoque etc. Prob. cons. Ideo contendimus S. Petrum errare non potuisse in doctrina fidei et morum, quia si errasset, Ecclesia salva non consisteret, et portæ inferi adversus eam prævaluissent (§. eod.) : Atqui hæc eadem ratio militat pro Romano Pontifice; Ergo etc. Probatur min. Non minus successoribus, quam Petro Ecclesia commissa fuit, atque commendata ut regeretur atque ab omni macula, et labe immunis usque ad finem mundi servaretur; omnibus namque suis successoribus, sicut et Petro dictum est a Domino: *pasce oves meas, pasce agnos meos*: *tibi dabo claves regni Caelorum etc.*; et non magis tempore Petri quam nunc, Ecclesia est vere

vere *columna et firmamentum veritatis*; Ergo etc.; adeoque etc.

§. 178. Probatur 2. Si Romanus Pontifex in materia fidei, et morum errare posset, nullæ unquam hæreses a solo Romano Pontifice proscriptæ, ut tales ab Ecclesia habitæ fuissent; Atqui oppositum constat ex perpetua traditione; Ergo etc. Probatur min. Ante Concilium Nicaenum multae haereses a solis Pontificibus damnatae fuerunt, scilicet Cerdonis, Marcionis, Saturnini, Valentini, Ophitarum, Montanistarum, Novatianorum, etc. Unde Felix Papa III. ad Episcopos Dardaniae scribens: *Nec prætermittimus*, ait, quod *Apostolica Sedes*, *nulla existente Synodo, habuerit facultatem damnandi quos oportuit*. Atqui praedictae haereses a solis Romanis Pontificibus damnatae, ut tales ab Ecclesia habitae fuerunt: Ergo etc.

Objectiones adversariorum solvuntur.

Objic. Ille in definiendis iis, quae fidei et morum sunt potest errare, qui ut alii homines circumdatus est infirmitate; Atqui ex D. Paulo (*a*), omnis Pontifex ex hominibus assumptus, circumdatus est infirmitate; Ergo etc.

(a) *Hebr. cap. V.*

§. 179. ℟. dist. maj. Ille in definiendis etc., si adsit ei specialis Spiritus Sancti assistentia, nego maj., si desit, conc.; et concessa pariter min. in sensu dist. datæ, dist. cons. Errare potest ut persona privata, speciali adjutorio Sancti Spiritus orbata, conc.; ut Pontifex Caput Ecclesiae, et speciali Spiritus Sancti assistentia munitus, nego consm. Quilibet homo, ut homo est, et persona privata cujuscumque sit ordinis, et dignitatis, errori est obnoxius, maxime circa ea quae fidei sunt, quaeque humanum superant captum, et finitae rationi non subjiciuntur, quippe circumdatus infirmitate. At quando homo Spiritum veritatis adjutorem habet, qui docet eum omnem veritatem, sit quantavis infirmitate circumdatus, errare nequit. Ita Summus Pontifex, quoties sibi ipsi relictus, et ut persona privata aliquid docet, aut decernit errare potest (esto non desint qui oppositum tenent); at si ex Cathedra loquitur, et ut Pontifex, atque Christi Vicarius aliquid fidelibus vel credendum, vel faciendum proponit, errare utique nequit, tum ob concessam illi infallibilitatem (§. 177.), tum quia speciali Spiritus Sancti assistentia potitur.

Contra. Atqui Romanus Pontifex etiam

ut est Papa, et Caput Ecclesiae potest errare in definiendis iis, quae ad fidem, et mores spectant; Ergo n. r. Prob. subs. Romanus Pontifex, etiam ut Papa, et Ecclesiae caput potest, peccare; quis enim Romanum Pontificem impeccabilem unquam dixerit? Ergo potest errare.

§. 180. R/. dist. ans. Romanus Pontifex etc., potest peccare peccato infidelitatis, vel erroris contra fidem, et bonos mores, nego ans; quocumque alio peccato, contra quamcumque aliam virtutem, aut contra Domini praecepta, vel faciendo quod est prohibitum, vel omittendo quod sui muneris est, conc. ans, et nego conseq. Cum in Romano Pontifice non donum impeccabilitatis, sed infallibilitatis defendimus, nihil movemur, si ille quandoque aut infirmitate, aut ex malitia peccat. Homo namque est, sicut et caeteri. Negamus tamen, eum peccare posse peccato infidelitatis, vel erroris in fide; Nam ob Ecclesiae bonum, fidei conservationem, et fidelium instructionem voluit Deus, eum non posse errare, et ejus testimonium, in iis quae fidei, et morum sunt, esse infallibile.

Contra. Atqui Romanus Pontifex si-

cuti potest peccare, ita et potest errare in fide etc. Ergo n. r. Prob. subs. Si Romanus Pontifex non posset in fide errare, nihil mereretur praeceptum adimplendo de fide conservanda; quia ad meritum requiritur libertas indifferentiae. Atqui hoc est falsum; nam alias Pontifex, quia Pontifex esset deterioris conditionis, quam alii fideles; Ergo etc.

§. 181. ℟. negan. maj. Esto namque in Romano Pontifice ad errandum in fide, moralis impotentia admittatur, non ideo sequitur eum nihil mereri, fidem servando; Nam cum illa impotentia morali est in ipso potentia physica ad fidem perdendam, adeoque potest in eo stare meritum, quod Apostolorum exemplo Theologi non inferioris subsellii ostendunt. Postquam enim illi confirmationem in gratia acceperunt, poterant physice non observare praecepta, sed erant moraliter determinati ad ea observanda; et ideo praecepta, libertate physica observabant, et singularem adhibebant diligentiam ad non peccandum, quemadmodum de seipso testatur Paulus dicens: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*. Sicuti ergo meritum Apostolorum componebatur cum eorum morali impotentia ad peccan-

candum, ita Romani Pontificis meritum cum impotentia morali ad fidem amittendam componitur.

Dices. Multi Romani Pontifices de facto in haeresim lapsi sunt, atque in fide errarunt: Ergo etc.

§. 182. ℟. 1. Non satis constare num Pontifices illi, de quibus adversarii loquuntur, revera in haeresim lapsi sint, cum multi ex nostris Theologis inveniantur qui eos ab errore omnino excusant. Sed esto concedatur aliquos errasse, quid inde? Locuti ne sunt tunc cum errarunt, ex Cathedra, aliquid de fide definiendo, quod esset error? minime quidem, sed ut privati homines; neque si exterius in fide errare visi sint, fidem revera interius amiserunt. Nam et Liberius subscripsit formulae Arianorum, ne mitteretur in exilium, et Marcellinus metu mortis thurificavit idola, et similiter Petrus ter Christum negavit, nemo autem eorum fidem internam amisit (*a*).

(a) *Vid. Auct. ut supra* §. 115. *suis in loc.* Bellarm. *praeser. Cont. III. Lib. IV. Insuper* Joseph. de Turre *Inst. ad Verbi Dei scripti intellig. Tract. III. Quaest. V.* Francisc. a Breno. *To. I. Manuale Missionar. Q. VII.* Ferraris *Biblioth. verbo* Papa *art.* 2.

Propositio II.

Romani Pontificis judicium in materia facti doctrinalis infallibilis est.

§. 183. Probatur 1. ex Scripturis. In Deuteronomio (*a*) hæc a Deo Israelitis præcepta leguntur: *Si difficile atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris...: venies ad Sacerdotes Levitici generis...: et facies quodcumque dixerint ...: sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram*. Ergo a fortiori quoties in Ecclesia Catholica dubium aliquod insurgit circa doctrinam aliquo in Libro contentam, sit ne sana, vel hæretica, aut quovis alio modo suspecta, debemus stare judicio Summi Sacerdotis, Romani nempe Pontificis, ejusque decisioni perfecte assentiri, et adquiescere, ne circumferamur omni vento doctrinæ; Ergo Romani Pontificis etc. Et sane non est minor Sacerdotibus Levi veteris Legis Summus Pontifex Romanus, imo illos excedit quam maxime. Si ergo illorum sententia adeo certa erat, atque secura, ut eam sequi procul dubio Israelitæ de-

(a) *Cap. XVII. v. 8.*

debebant, multo magis certæ sunt, atque inconcussæ Summorum Pontificum in materia facti doctrinalis decisiones, et tuto eas amplectere debent fideles; adeoque Romani Pontificis, etc.

§. 184. Prob. 2. ratione Theologica. Judicare factum doctrinale, ad fidem pertinet; Nam: *pertinere ad puritatem fidei, atque doctrinæ damnare hæreses cum suis auctoribus* ait S.Leo (a); quoties ergo dubitatur num Liber aliquis doctrinam contineat erròneam, standum est profecto Pontificis Romani judicio; nam sicut ad Pontificem spectat de Sacris Scripturis judicium ferre, et judicium Pontificis est infallibile, ita ad Pontificem spectat de doctrina in Libris auctorum contenta judicium ferre, et judicium ejus infallibile est; Ergo etc. Deinde fidei depositum Pontifici creditum est, et ipse ut Pastor oves pascere debet sana doctrina; Si ergo Pontifex in materia facti doctrinalis posset errare, in discrimen maximum vocaretur fides, et periculum foret ne ovibus venerata pascua pro salubribus apponerentur; Atqui si hoc foret, Jesus Christus haud sufficienter suæ Ecclesiæ providisset; Ergo etc.

(a) *Ad Synod. Chalced.*

PROPOSITIO III.

Judicium Romani Pontificis in Canonizatione Sanctorum infallibile est.

§. 185. PRobatur 1. Romanus Pontifex docens Ecclesiam, in iis quæ fidei, et morum sunt, nequit errare (§.117.); Atqui Sanctorum Canonizatio ad materiam fidei pertinet; Ergo in ea nequit errare; adeoque etc. Prob. min. Sanctorum Canonizatio est actus externæ confessionis fidei contentæ in articulo de Communione Sanctorum; Romanus namque Pontifex cum aliquem Sanctum Canonizat, definit, eum esse vere in gloria, et in aliorum Sanctorum consortio, atque decernit, ita firmiter, et absque ulla dubitatione ab omnibus tenendum esse, ut patet ex Bullis Canonizationum, Sixti IV. præsertim de Canonizatione S. Bonaventuræ, quæ sic loquitur: *Hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus*. Quare merito D. Thomas inquit (*a*), quod: *Honor quem Sanctis exhibemus est professio quædam fi-*

(a) *Quodlib. IX. art. 16.*

fidei, qua Sanctorum gloriam credimus; et Seraphinus Doctor (a) ait: *Ad infedelitatem spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare*; Ergo etc.; adeoque etc.

§. 186. Probatur 2. Sanctorum Canonizatio a Summis Pontificibus (b) appellatur *Divini potius judicii, quam humani opus*; toti namque Ecclesiæ colendus, invocandus ut Sanctus, et vere cum Deo regnans proponitur ille qui Canonizatur; Ergo fieri nequit ut in re tanti momenti, quae universam respicit Ecclesiam, judicium Romani Pontificis fallibile sit; Nam si fallibile posset esse, merito dubitare, possent fideles, num illi, qui ab Ecclesia ut Sancti venerantur, revera sint tales, cum fieri possit ut non in Cœlo, sed in inferno sint aliqui eorum; Atqui hoc lethale vulnus fidei Catholicae infligeret; Ergo etc.

Dices: Vulgare illud effatum Augustini circumfertur: *multa corpora Sanctorum venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in Inferno*; Ergo etc.

§. 187: ℟. Communis Theologorum sen-

(a) *In Opusc. contra Gulielmum.*

(b) Cœlestino *III. præsertim*, *et* Innocentio III.

sententia est, laudatum dictum nullibi in libris Augustini genuinis reperiri. Sed dato etiam quod Augustini esset, quid inde? Nihil certe. Nam dictum illud intelligendum est vel de falsis Sanctis, et Martyribus Hæreticorum, qui in Mundo ab aliquibus ut Sancti honorantur, cum eorum animæ torqueantur in Inferno, vel intelligendum est de Sanctis, non a Summo Pontifice, vel ab Ecclesia canonizatis, sed qui aliquorum opinione Sancti sunt, vel sanctitatem in vita affectantes, cum tali opinione mortui sunt.

Inst. Intelligi nequit quomodo Summus Pontifex in Sanctorum Canonizatione sit infallibilis; Nam in judicio ferendo ipse, non nititur testimonio infallibili vel Scripturæ, vel revelationis a Deo acceptæ, sed hominum testimonio, quod fallibile est.

§. 188. ℟. Etsi Romanus Pontifex testimonio humano fallibili utatur in judicio ferendo circa Sanctorum Canonizationem, tamen *dicendum*, ait S. Thomas (*a*), *quod Divina providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur*. Cæterum Pontifex non movetur ad aliquem Sanctum ca-

(a) *Quodlib. IX. respond. ult.*

canonizandum præcise ex testimonio habito de illius sanctitate, et miraculis, sed ex speciali Spiritus Sancti instinctu, et assistentia, ratione cujus ejus declaratio est firma, et judicium infallibile (*a*).

Quæres. *An Romanus Pontifex Leges ferre possit obligantes universam Ecclesiam?*

§. 189. ℟. affirm.: Nam Romanus Pontifex est verus Petri successor (§. 173.), et Christi Vicarius in terris: Habet ergo in universam Ecclesiam potestatem, et jurisdictionem. Ipse est Magister, Dux, Pastor, et Rex; fideles sunt discipuli, oves, subditi, et milites, sicut ergo fidelium est Pontifici obedientiam, et obsequium præstare, ita et Pontificum est eos docere, regere, gubernare, pascere; Atqui sine legibus neque Pontifex posset suum officium implere, neque fideles quæ proprii muneris sunt satisfacere; Ergo etc. Deinde Scriptura, pluribus in locis, obedientiam Superioribus præcipit, laudat obedientes, et pœnas transgressoribus minitatur; Ergo etc: Probatur ans. Ad Hæbreos scribens Paulus ait (*b*): *Obe-*

(a) Ferraris. V. Papa *art.* 2. *n.* 62. De Turre *us supra* §. 3. *concl.* 1.
(b) *Cap. XIII.*

Obedite Præpositis vestris , et subjacete eis ; ipsi enim pervigilant , tamquam pro animabus vestris rationem reddituri . Et ad Thessalonicenses scribens, sic ait (*a*): *Scitis quæ præcepta dederim vobis . . . . Qui hæc spernit , non hominem spernit, sed Deum, qui Spiritum suum Sanctum nobis dedit* . Et ad eosdem (*b*) : *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam , hunc notate, et ne commisceamini illi.* Tandem ad Corinthios scribens, ait (*c*): *laudo vos, quod præcepta mea tenetis* . Ex quibus tale argumentum exurgit : Si Romanus Pontifex ferre non posset Leges obligantes universam Ecclesiam , sicuti fideles digni non essent laude si obtemperarent ei, ita non essent pœna afficiendi si obedire detractarent ; Atqui ex allatis locis, fideles tenentur obedire Superioribus , et potissimum Papæ, et laudantur cum obediunt, pœna afficiuntur cum obedire nolunt ; Ergo etc. (*d*).

De

(a) *I. Thessal. cap. IV.*
(b) II. *Thessal. cap. III.*
(c) *Corint.* XI.
(d) Bellarm. *Lib.* IV.*de Rom. Pont. cap.*XV. XVI.

§. 190. QUoniam Deus, ut ait Psalmista (a), *gloriatur in Concilio Sanctorum suorum*, et Jesus Christus infallibiliter promittit suam assistentiam in nomine suo congregatis, dicens (b): *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, non abs re ab Apostolorum tempore, cum grave aliquod vel Fidei, vel morum negotium urgeret, consueverunt in Ecclesia celebrari Concilia. *Concilium* namque *est Procerum Ecclesiæ in locum aliquem congregatio, a legitimo Superiore facta ad tractanda, et definienda graviora aliqua Ecclesiæ negotia.*

§. 191. Concilium duplex est, *Generale* nempe, et *Particulare*; atque istud vel est *Nationale*, vel *Provinciale*, vel *Episcopale*. Concilium *Generale*, quod etiam *Oecumenicum* dicitur, est illud, in quo a Summo Pontifice omnes totius Orbis Episcopi convocantur, ut nisi sint legitime impediti, conveniant. Concilium *Na-*

(a) *Psal.* 81. c. 8.
(b) *Matth.* XVIII. v. 20.

Nationale est illud, in quo Episcopi, et Archiepiscopi unius tantum Nationis vel Regni, sub uno Primate, vel Patriarcha conveniunt. Concilium *Provinciale* vero illud est, in quo Episcopi unius Provinciæ sub Archiepiscopo illius Provinciæ conveniunt. *Episcopale* vel *Diœcesanum* tandem est illud, in quo ab Episcopo suæ Diœcesis Pastores, et Presbyteri convocantur. De Conciliis acturi, de Generalibus tantum verba facimus.

CAPUT I.

De Conciliorum Generalium convocatione.

§. 192. LUtherus (*a*), Calvinus (*b*), Centuriatores Magdeburgenses (*c*), eorumque asseclæ volunt, jus Concilia Generalia convocandi non esse penes Ecclesiam, prout complectitur animarum Pastores, sed penes Imperatores. Catholici e contra, jus illud solius Summi Romani Pontificis proprium esse defendunt, ita tamen,

(a) *Lib. de Conciliis.*
(b) *Lib. IV. Inst.*
(c) *Centuria IV.*

men, ut possit etiam alius, consentiente Pontifice, Concilium convocare, quin etiam sufficiat, si Pontifex convocationem jam factam ratam habeat, et confirmet. Quod si nec ipse convocat Concilium, nec alius de suo ipsius consensu, vel ordine; nec ipse saltem approbat convocationem, tunc non Concilium erit illud, sed conciliabulum (*a*),

PROPOSITIO I.

Jus convocandi Concilium Generale solus Romanus Pontifex habet.

§. 195. PRobatur. Concilium ab eo convocari debet, qui est legitimus Ecclesiæ Pastor, atque superior (§. 190.); Atqui Summus Pontifex est legitimus Ecclesiæ Pastor, et superior (§. 174.); Ergo etc. Deinde ille jus habet Concilium convocandi, qui superior est omnibus aliis Ecclesiæ Proceribus; habetque jus omnes alios Proceres in locum aliquem convocandi; Atqui talis est Summus Pontifex, qui habet super Universam Ecclesiam potestatem, ut Christi Vicarius, et Petri suc-

(a) *Ita* Bellarm. *de Concil. Lib.* I. *Cap.* 12.

successor (§. 173.) ; Ergo etc. Ulterius ille jus habet Concilium Generale convocandi, cui Ecclesiæ totius negotia Fidem, et mores spectantia sunt concredita; Atqui non Imperatoribus, sed Divo Petro et Successoribus, Fidei, et morum depositum est concreditum (§.184.); et ad ipsum spectat, quæ Fidei, et Dei sunt tractare; Ergo etc. Tandem ille jus habet Generale Concilium convocandi, qui jus habet ferendi Leges Universam Ecclesiam obligantes, et cui cuncti sive Laici, sive Clerici cujuscumque ordinis, et dignitatis, tamquam Supremo capiti obtemperare debent; Atqui talis est Romanus Pontifex (§. 159.); Ergo etc.

§. 194. Probatur 2. Traditione. S. Marcellus Papa et Martyr sic ait (*a*) de Apostolis: *Iidem inspirante Domino constituerunt, ut nulla Synodus fieret præter auctoritatem Summi Pontificis.* Hoc ipsum repetit, paucis verbis mutatis, Gregorius VII. (*b*), dicens: *Ipsi Apostoli, et eorum successores, Domino inspirante, constituerunt, ut nulla fieret Synodus præter Romanæ Sedis auctori-*

(a) *Epist. ad Episcop. Prov. Antioch. an.* 296.
(b) *Epist.* Gaudeamus dilectissimi.

ritatem. Pelagius II. (*a*) inquit: *Generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ sedi B. Petri singulari privilegio tradita est*. Leo X. (*b*) paucis rem totam plane conficit, scribens: *Solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tamquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere, nedum ex Sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, sacrorumque Canonum decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione manifeste constat*. Ergo etc.

Dices: Constans Scriptorum sententia est, octo priora Concilia Generalia fuisse ab Imperatoribus convocata; Ergo jus etc. Imperatores non Pontifices habent.

§. 195. ℟. dist. ans. Octo priora etc. consentientibus, et approbantibus Romanis Pontificibus, conc.; jure proprio Imperatorum, nego etc., et consm. Octo priora Generalia Concilia fuerunt quidem ab Imperatoribus convocata, at non jure

 pro-

(a) *Constit. quæ incip.* Manifesto.
(b) *Const. quæ incipit.* Pastor æternus.

proprio, sed ex consensu, et approbatione Summi Pontificis. Et sane Concilium Nicænum I., non tam a Constantino, quam a Sylvestro Pontifice congregatum, testantur Acta VI. Synodi, ubi (*a*) legitur: *Constantinum, et Sylvestrum Synodum apud Nicæam congregasse*. Concilium Constantinopolitanum, ut convocaretur, jam Damasus Papa, anno præcedenti literas miserat Theodosio Imperatori, ut præfato Pontifici scribunt Episcopi in eo Concilio congregati, dicentes: *Mandato literarum superiore anno a vestra reverentia ad Sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus*. Concilium Ephesinum de consensu Pontificis Celestini I. fuisse a Theodosio juniore convocatum, ex relatione ipsius Concilii ad Imperatorem missa, luculentissime patet; Sic enim in ea legitur (*b*): *Antequam hæc Sanctissima Synodus conveniret, Cœlestinus sanctissimus magnæ Romæ Episcopus per literas suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo, ut suas vices subiret, commiserat*. Concilium

(a) *Act.* 18.
(b) *Act. III.*

lium Chalcedonense, jussu et auctoritate Summi Pontificis fuisse convocatum, testantur Episcopi, Epistola quadam ad Leonem Imperatorem, his verbis: *In Chalcedonensium Civitate multi Sancti Episcopi convenerunt per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui vere caput est Episcoporum*: Similiter de aliis Conciliis ostendunt Bellarminus (*a*), et alii. Ex quo clare patet, quam rationabiliter in Concilio Nicæno fuerit à Patribus statutum: *non debere, absque Romani Pontificis sententia, Concilia celebrari* (*b*).

Inst. Si jus convocandi Concilium generale penes Pontificem Romanum et non penes Imperatorem esset, quoties opus fuisset aliquod Generale Concilium convocare, Pontifex non rogasset Imperatorem, ut Concilium convocaret; Atqui rogabat; Ergo etc.

§. 196. ℟. dist. min. Rogabat Imperatorem, quia in eo agnoscebat jus Concilium convocandi, nego min., aliis justis de causis, conc. min., et nego consm.

 Esto

(a) *Lib. I. de Conciliis Cap. XIII.* Contin. Berti *Tract. de Loc. theolo. Lib. III. Cap. I.*

(b) Athanasius *apud* Gregorium VII. *in Apologet.*

Esto Summus Pontifex optime nosset, jus Generale Concilium convocandi penes se esse, pluribus tamen de causis ferebat ut ab Imperatore convocaretur, imo eum rogabat ut convocaret. Cum namque in aliqua Imperatoris Civitate Concilium celebrari deberet; cumque ut Episcopi eo transferrentur ingentes sumptus pro itinere, et aliis necessariis consumere debebant, ad quos impares erant; cumque, ut alia taceam, externa vi, et potentia coactiva opus habebat Pontifex tum ut rebelles refrenaret, et in officio contineret, tum ut Concilium felicem exitum haberet, et omnes illius Statutis debitam obedientiam praestarent; sano proinde, prudentique consilio Pontifex ad Imperatorem recurrebat pro Concilii convocatione. Cæterum de auctoritate, et jure ipsius semper celebrabatur (§.195.) Concilium, licet auctoritate Imperatoris diceretur fuisse convocatum.

PROPOSITIO II.

In Conciliis Generalibus cum jure suffragii decisivi vocandi sunt Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi; ex privilegio autem, et consuetudine Cardinales, Abbates, et Generales Ordinum.

§. 197. PRobatur 1. pars. In Conciliis generalibus caussæ fidei, et morum, agitantur, et definiuntur; Ergo illi solum habent in eis jus suffragii decisivi, qui sunt fidei depositarii, qui peculiari Spiritus Sancti assistentia potiuntur ne errent, qui curam habere debent de ovibus sibimetipsis concreditis, easque scientia, atque doctrina pascere; atqui tales sunt Patriarchæ, Primates etc., ipsis namque dicitur (a): *Pascite, qui in vobis est gregem Christi* (b): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (c): *depositum custodi*; Ergo etc. Quare Alexius Commenus Im-

(a) *I. Petri Cap. V.*
(b) *Matth. XXVIII. v. 20.*
(c) *I. Timoth. Cap. VI. v. 20.*

Imperator (a) ait : *Potestatem docendi populum solis Episcopis datam esse, et magnæ Ecclesiæ doctores Patriarchæ jure docere etc.*

§. 198. Probatur 2. pars. In Conciliis Basileensi, Florentino, Lateranensi sub Leone X., et Tridentino Cardinales nonnulli, Abbates, et Generales Ordinum suffragium habuerunt decisivum; Atqui isti, hujusmodi suffragium jure proprio non habebant (§. 197.); Ergo ex privilegio habuerunt.

Dices. Causa quæ communis est, communibus suffragiis definienda est; sed causa quæ in Conciliis agitatur, cum sit causa fidei, vel morum, omnibus fidelibus communis est; ergo communibus etc.; adeoque etc.

§. 199. ℟. Causa quæ in Conciliis agitatur utique communis est omnibus fidelibus, sed non ex æquo. Ad Prælatos namque spectat ut Doctores, et Pastores, ad cæteros vero ut discipulos, et oves; propterea illi, non alii habent jus suffragii decisivi. Quare Theodosius Junior ad Ephesinam Synodum scribens, ait (b): *Illicitum est, eum, qui non sit*

(a) *In Novella de Doctor lib. I. juris orient.*
(b) *Tomo I. Concil. Ephes. Cap. 32.*

sit in ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.

Contra. Atqui alii quoque in Concilio cum jure suffragii decisivi convenire debent, quia causa communis est; Ergo n. r. Prob. subsm. Tempore Apostolorum orta controversia de observatione legalium, *convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc* (a), et infra: *Tunc placuit Apostolis, et Senioribus cum omni Ecclesia etc.*; Ergo etc.

§. 200. ℟. In Concilio Apostolorum, præter ipsos, interfuerunt quidem alii Seniores, hoc est Presbyteri, non quidem ad definiendum, sed ad consulendum; imo et plebs ipsa interfuit, licet non vocata, ut audiret quæ resolverentur, et non reclamando approbaret. De facto in eo Concilio, completa disquisitione, quæ inter Presbyteros habebatur, solus Petrus dixit sententiam, nec alii amplius locuti fuere præter Paulum, Barnabam, et Jacobum, qui erant Apostoli, et Episcopi; quibus loqui cessantibus, subjungitur: *Tunc placuit Apostolis etc.*

(a) *Act. XV.*

Caput II.

De Præsidentia in Conciliis, eorumque confirmatione.

§. 201. Præsidentia, quoad rem attinet præsentem duplex est, scilicet *auctoritativa*, et *honoraria*. Prior est illa qua, qui ea gaudet jus habet proponendi in Concilio quæ pertractanda sunt, suffragium decisivum ferendi, determinandi, ac decidendi quæ expedire videntur, atque justis pœnis, aliisque juris remediis rebelles, contradictores, atque contumaces compescendi. Posterior est tantum quædam præeminentia ratione loci materialis, eminentioris, et dignioris, quae, honorificentiæ gratia, insigni alicui personae, veluti Imperatori, aut Regi in Concilio quandoque conceditur.

§. 202. Lutherus, Calvinus, Vigorius, et alii, qui volunt Imperatoris jus esse Generalia Concilia convocandi, volunt etiam Imperatorem debere præsidere in Conciliis, et quidem *auctoritative*, et ea confirmare; quod si Imperator nec per se, nec per suum Legatum vellet præsidere, tunc ad Concilium spectare Præsidem constitue-

tuere. Contra hos stant omnes Theologi Catholici (*a*).

PROPOSITIO I.

Ad solum Romanum Pontificem spectat sive per se, sive per suos Lægatos in Conciliis Generalibus præsidere.

§. 203. PRob. Concilium Generale universam repraesentat Ecclesiam; Ergo ille jus habet præsidendi Concilio Generali, qui est caput Ecclesiæ, ejus Pastor supremus, atque gubernator, quique in universa Ecclesia jurisdictionem habens, super omnes alios Ecclesiasticos Pastores est; Atqui talis est Summus Pontifex, quippe qui est Christi in terris Vicarius, et S. Petri successor (§. 174. 175.). Ergo etc.

PRO-

(a) *Videant. Auctores ut supra*. Suarez *Tom. I. Disp. XV. sect. 3.*

PROPOSITIO II.

Solus Pontifex Romanus habet jus Concilium generale confirmandi,

§. 204. PRobatur 1. Ille habet jus Concilium generale confirmandi, qui est infallibilis in iis quæ fidei, et morum sunt, quique jus habet convocandi Concilium, atque in eo præsidendi: Atqui Romanus Pontifex est infallibilis (§. 177.), et jus habet Concilium Generale convocandi (§. 193.), in eoque præsidendi (§. 203.); Ergo etc. Probatur maj. Confirmare Concilium est actus supremæ auctoritatis, qua ultimum judicium infallibile profertur de actis in Concilio, cui nemini licet contradicere; Atqui actus iste nonnisi ab eo solum exerceri potest, qui est supremus Ecclesiæ Pastor; in Concilio præsidet auctoritative, et donum habet infallibilitatis in definiendis quae fidei, et morum sunt; Ergo etc.

§. 205. Probatur 2. Praxis est, Conciliorum confirmationem a Summo Pontifice expostulare, uti in eorum Actis videri potest; atqui hoc Patres Concilii non fecissent, nisi jus confirmandi Conci-

ci-

cilia in Romano Pontifice recognovissent; Ergo etc. (*a*).

Dices. Non raro Imperatores in Conciliis praesiderunt; atque Concilia confirmarunt; Ergo etc.

§. 206. ℞. Praesidentia Imperatorum in Conciliis fuit tantum *honoraria* non *auctoritativa*; quod si visi aliquando fuerint auctoritate aliqua uti, id fuit solum ad coercendos fidei hostes, ne damnum aliquod inferrent, et ut Concilii decisiones plenum sortirentur effectum in foro externo; quare, et ab ipsis quoque Concilium confirmari, Patres petierunt, ut sic nempe jurgia cessarent, et contradictiones; ac ipsimet rebelles, et obstinati compescerentur, et vellent, nollent, obtemperarent statutis. Ad rem egregie Cardinalis Cusanus (*b*) inquit: *Summus Pontifex confirmat tamquam auctoritatem præbens Concilio, Imperator vero tanquam testis eorum, quæ gesta sunt, et decreta; et tanquam ea approbans, et recipiens, eisque se subjiciens, et quia Regis ad exemplum totus*

(a) *Legat.* Antoine *Tomo I. Tract. de fide Sect. IV. Cap. IV. art.* 3. Boyvin *Tomo IV. Disp. III. Quæst. VIII. Prob.* 3.

(b) *Lib. III. de Concordant. Catholica Cap.* 15.

tus componitur orbis, *cœteri omnes Concilio obediunt*, *nullam vero vocem Synodicam vel decisivam*, *vel conclusivam habet*: *ideo cum deprehendimus Imperatores Concilia confirmasse* , *id factum est*, *ut manus auxiliares præberent Ecclesiæ* .

Caput III.

De Conciliorum generalium auctoritate.

§. 207. CUm Lutherus , atque Calvinus cernerent, multa ex Dogmatibus , quae propugnabant, jampridem a Conciliis generalibus fuisse damnata, atque indubitanter iterum a Tridentina Synodo damnarentur, ut effugium aliquod invenirent, proprias sententias sustinendi , effutierunt, nullum prorsus Concilium in definiendis, quae ad fidem, et mores spectant fuisse infallibile ; nec proinde Divinae auctoritatis . Oppositum sentiunt Catholici .

Pro-

Propositio I.

Concilium generale a Romano Pontifice confirmatum infallibile est in iis quæ fidei, et morum sunt.

§. 208. PRobatur. In Concilio generali universa concipitur Ecclesia congregata; Atqui Ecclesia in iis quæ fidei, et morum sunt definiendis infallibilis est (§. 131.); Ergo etc. Deinde Concilium est congregatio Procerum Ecclesiæ facta a legitimo Superiore ad tractanda fidei negotia (§. 190.); Atqui Christus specialem suam assistentiam Ecclesiæ Prælatis promisit, dicens (a): *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo* (b): *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*; Ergo etc. Ulterius Deus dicitur stare in Synagoga Deorum (c), nempe in medio Prælatorum Ecclesiæ, qui ratione dignitatis, et excellen-

(a) *Matth. Cap. XVIII. v. 8.*
(b) *Ibid. Cap. ult. v. ult.*
(c) *Psal. 81. v. 1.*

lentiæ Dii vocantur; item Jesus Christus ait: *Ubi sunt* (a) *duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*; Ergo quoties Ecclesiæ Prælati in Concilio congregantur, in medio eorum stat Christus docens eos omnem veritatem. Quare quidquid assistente Domino Patres in Concilio statuunt est a Spiritu Sancto inspirante; adeoque sicuti Apostoli (b), ita et ipsi dicere possunt atque dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, et nobis*; Sed qui a Spiritu Sancto reguntur, errare non possunt; Ergo etc.

Propositio II.

Pontifex Romanus est supra Concilium generale.

§. 209. Probatur. Nam ut Concilium generale suam habeat firmitatem debet a Romano Pontifice convocari (§. 193.) Romanus Pontifex vel per se, vel per suos Legatos debet in eo præsidere (§. 203.), ejusque Acta confirmare (§. 208.); Ergo etc. Præterea Romanus Pontifex est totius Ecle-

(a) *Matth. Cap. XVIII.*
(b) *Actor. XV.*

clesiæ caput, et fundamentum, ipsi namque dictum est : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (a) ; Ecclesia itaque est Summo Pontifici subjecta, ejusque jussa exequi debet, itaut tamdiu Ecclesia Christi manet, quamdiu super petram, super quam fundata fuit, nempe super Summum Pontificem, solidatur; Atqui Concilium non est aliud quam Ecclesia collecta ; Ergo etc. Deinde Summus Pontifex est omnium fidelium Pastor ; sicuti ergo in Concilio non desinunt esse oves quotquot sunt congregati (quippe vocem universalis Pastoris audientes congregati sunt), ita et Pastoris jus non amittit Pontifex ; Atqui Pastor est superior gregi; Ergo Romanus Pontifex etc. Ulterius, si Romanus Pontifex non esset supra Generale Concilium, posset Concilium absque Pontifice, et non Pontifex absque Concilio hæreses damnare, et quæ fidei, et morum sunt definire ; Atqui hoc est falsum, et experientiæ oppositum (§. 178.) ; Ergo etc. Tandem si Pontifex non esset Concilio Generali superior, posset Concilium tamquam legitimum, et infallibile ab Ecclesia suscipi, et retineri,

(a) *Matth. cap. XVI.*

ri, licet a vero atque legitimo Pontifice, neque convocatum, neque confirmatum fuerit; Atqui ex testimonio Eugenii IV. (*a*): *Suscipit Romana Ecclesia omnes alias universales Synodos auctoritate Romani Pontifici legitime congregatas, ac celebratas, et confirmatas*; Ergo etc. (*b*).

Quæres. *Quot fuerint Generalia Concilia approbata?*

§. 210. ℟. Octodecim; 1. nempe *Primum* Nicænum sub Sylvestro Papa, et Constantino Magno Imperatore, anno 325. Nicææ in Bithinia convocatum; Huic Concilio 318. Episcopi adfuerunt, et hæresis Ariana cum suo Auctore, et sectatoribus damnata fuit; et ut de cætero omnis cavillandi tolleretur occasio, inserta fuit Symbolo vox *consubstantialis*. Statutum fuit ut Pascha in posterum celebraretur toto Terrarum orbe Dominica sequente plenilunium æquinoctii verni. Atque insuper 20. Canones editi sunt pro disciplina Ecclesiastica restauranda, ut ait Theodoretus.

Se-

(a) *In Decreto super union. Jacobitarum.*

(b) *Object. contra haec, et antec. Prop. leg. apud* Bellarminum *Lib. II. de Concil. auctorit. Cap. VI. et seq. et Cap. XIX.* Ivenin *Tom. I. Dissert. IV. pag.* 189.

Secundum est primum Constantinopolitanum, quod Pontifice Damaso, et Theodosio seniore Imperante fuit congregatum, anno 381. Ubi convenerunt Episcopi 150. In eo damnatus fuit Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, qui negabat Divinitatem Spiritus Sancti, et Symbolo Nicæno additum fuit: *Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur*. Canones insuper 7. editi fuere ad disciplinam pertinentes.

Tertium est Ephesinum sub Celestino I. Pontifice, et Theodosio Juniore, Ephesi anno 431. convocatum; cui adfuerunt 200. Episcopi. In hoc Concilio definitum fuit unam tantum esse (Verbi nempe) in Christo personam; ac propterea Virginem Mariam vere dici, ac esse *Theotocon*. Quare sententia excommunicationis, ac depositionis contra Nestorium lata fuit.

Quartum est Chalcedonense anno 451. Imperatore Marciano, et S. Leone Magno Pontifice congregatum. In eo fuerunt 636. Episcopi, et proscriptus fuit Eutyches, qui duas in Christo naturas confundebat; damnatus etiam fuit Dioscorus, eo quod Concilio Generali præsidere fuerit ausus, et post trinam citationem de-

positus. Latrocinii Ephesini Acta fuerunt reprobata: restituti in suas Sedes Theodoretus Cyrensis, et Ibas Edæssenus postquam dixerunt *Anathema* Nestorio coram universa Synodo, et definitioni Fidei, ac S. Leonis Epistolæ subscripserunt. Pro morum reformatione varii Canones statuti fuerunt.

Quintum est Constantinopolitanum II. sub Justiniano seniore, et Vigilio Romano Pontifice anno 553. congregatum. Ei adfuerunt 165. Episcopi. Errores Origenis damnati fuerunt; damnatus item Theodorus cum suis scriptis.

Sextum est Tertium Constantinopolitanum anno 681. congregatum, Pontifice Agathone, et Imperatore Constantino Pagonato, cui interfuerunt 289. Episcopi, qui Monothelitas damnantes, definierunt esse in Christo *duas naturales voluntates, et duas naturales operationes, indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse . . . secundum doctrinam SS. Patrum.*

Septimum est Nicænum II. anno 787. convocatum, cui adfuerunt 350. Episcopi, Pontificatum gerente Adriano I., et Imperium tenente Constantino cum sua matre Irene. In eo sancitum est: Sacras Ima-

Imagines debere retineri, eisque *honorariam adorationem* deberi, non quidem *Latriæ*, sed *Duliæ*; eamque adorationem non terminari ad figuras, sed referri ad earum prototypa. Editi etiam fuerunt 22. Canones pro disciplina Ecclesiastica.

Octavum est Constantinopolitanum IV., et ultimum in Oriente, anno 869. convocatum, imperante Basilio, et Pontificiam Sedem tenente Adriano II. Ei adfuerunt Episcopi 102. qui Photium damnarunt, et S.Ignatium in suam Sedem restituerunt.

Nonum est Lateranense I., quod anno 1123. Callistus II., tempore Henrici IV. Imperatoris, Romæ in Basilica Lateranensi indixit. Huic Concilio adfuerunt 300. Episcopi, præter Abbates, et Priores fere 700. Henricus IV. in hoc Concilio dimisit Ecclesiæ omnem investituram per annulum et baculum tradendam; ablatas possessiones Ecclesiæ restituit; atque promisit se electiones et consecrationes omnino liberas relicturum; cui vicissim Pontifex Callistus II. concessit, ut se præsentem sisteret electionibus; et ut electis regalia, videlicet, fructuum beneficii percipiendorum potestatem daret per sceptri regii contactum. Pertractatum quoque fuit de auxi-

xilio præstando Christianis Orientalibus contra Saracenos.

Decimum est Lateranense II. ab Innocentio II. congregatum, anno 1139. tempore Lotharii Imperatoris; cui adfuerunt mille Patres. In eo Acta Petri Leonis, aliorumque Schismaticorum fuerunt rescissa: *Petrus de Bruis*, et *Arnaldus de Brixia* cum eorum hæresibus damnati, atque insuper varii constituti Canones pro pristina Ecclesiastica disciplina restituenda, inter quos ille: *Si quis suadente diabolo*.

Undecimum est Lateranense III., Imperatore Frederico I., et Summo Pontifiee Alexandro III., anno 1179, cui adfuerunt 300. Episcopi. In eo, definitum fuit, nullam in posterum Papæ electionem fore Canonicam, nisi duæ partes Cardinalium ad eam conspirent; Ordinationes ab Anti-papis factas irritas esse, et beneficiorum collationes nullius valoris. Damnati fuerunt hæretici Waldenses, et Albigenses; necnon varii Canones constituti ad usuram maxime, et Simoniam extirpandas.

Duodecimum est Lateranense IV., cui adfuerunt 1283. Patres, dictum proptereà Lateranense Magnum, anno 1215, ab

ab Innocentio III., Imperante Frederico II. convocatum. In hoc Concilio damnatus fuit Liber Abbatis Joachim adversus Petrum Lombardum; proscripta quoque impia et stulta dogmata *Almarici de Bena*. Statuta est expeditio adversus Turcas pro recuperatione Terræ Sancæ; Atque insuper varii conditi sunt Canones pro morum reformatione, quos inter celebris ille: *Omnes utriusque sexus*.

Decimumtertium est Concilium Lugdunense I. anno 1245. Innocentio IV. Pontifice celebratum, cui adfuerunt 140. Episcopi præter plures Cardinales, et tres Patriarchas. In eo Pontifex sententiam excommunicationis, et depositionis in Fredericum Imperatorem tulit: renovatum est decretum de expeditione in Turcas, magnis privilegiis, et immunitatibus Cruciatis concessis; nec non varia decreta facta sunt circa disciplinæ reformationem.

Decimum quartum est Lugdunense II. in quo interfuerunt mille Patres, anno 1270. Gregorio X. Summo Pontifice, Imperatore Germaniæ Rodulpho.. Ad hoc Concilium, inter alios viros doctrina, et sanctitate illustres, vocati quoque fuerunt

S. Thomas de Aquino, et S. Bonaventura Cardinalis, et Episcopus Albanensis; sed ille in itinere morte præventus, non adfuit. Adfuit vero iste, qui maximo fuit Ecclesiæ adjumento; sed circa Concilii exitum et ipse obiit, incredibili Patrum omnium mœrore, et maxime Pontificis. In hoc Concilio definitum est, Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere tanquam ab uno, non a duobus principiis; quare additum est Symbolo: *qui a Patre, Filioque procedit*. Damnati sunt, qui contra jus, de novo *regalia* usurpare nitebantur; atque Græcis promissa fuit decima pars bonorum Ecclesiasticorum pro expeditione adversus Turcas.

Decimus quintus est Viennense in Gallia, tempore Henrici VII. Imperatoris, anno 1311. a Clemente V. convocatum. Ei 300. Episcopi adfuerunt, atque insuper tres Reges, scilicet Filippus Pulcher Rex Galliæ, Eduardus II. Rex Angliæ, et Jacobus II. Rex Aragoniæ. Templariorum Ordo fuit omnino extinctus, damnati Fraticelli, Beguardi, et Beguinæ; nova expeditio decreta fuit pro recuperatione Terræ Sanctæ, ac variæ Constitutiones editæ pro morum refor-

ma-

matione, quæ in jure *Clementinæ* dicuntur.

Decimum sextum, est Florentinum, primum Ferrariæ congregatum anno 1438., deinde Florentiam translatum, Summo Pontifice Eugenio IV., et Graecorum Imperatore Joanne Paleologo. In eo fuerunt 141. Episcopi, octo Cardinales, et plures tum Abbates, tum Ordinum Generales, et Doctores; atque statutum fuit particulam *Filioque* jure Symbolo additam fuisse: Quod veraciter Corpus Christi conficitur sive consecratio fiat in pane triticeo azimo, sive in fermentato; Quod animæ quæ ex hoc mundo discedunt in charitate, sed non sunt omnimode ab omni macula mundæ, in Purgatorio detruduntur quoadusque dignæ inveniantur quæ stare possint coram Agno, ibique suffragiis vivorum adjuvari possint; Quod Romanus Pontifex est verus Christi Vicarius, et Petri successor, habetque proinde primatum in universam Ecclesiam.

Decimum septimum est Lateranense V., Romanis Pontificibus Julio II. et Leone X. Incepit namque anno 1512. sub Julio II., et completum est anno 1517. sub Leone X. In eo Concilio fue-

runt 114. Praelati cum pluribus aliis Ordinum Generalibus, et Doctoribus; Atque reprobatum Conciliabulum Pisanum; abrogata fuit Pragmatica sanctio, et pacta inter *Leonem X.* et *Franciscum I.* Galliæ Regem concordata, in locum pragmaticæ substituta.

Decimum octavum, est Tridentinum a Paulo III. indictum primo *Mantuæ*, deinde *Vicentiæ*, tandem *Tridenti*, ubi ab anno 1545. usque ad annum 1563. sub tribus Romanis Pontificibus, Paulo III., Julio III., et Pio IV. celebratum fuit, tempore Caroli V., et Ferdinandi I. Huic Concilio adfuerunt sex Cardinales, quatuor Legati, Patriarchae tres, Archiepiscopi trigintaduo, Episcopi ducentiviginti octo, Abbates quinque, Generales Ordinum Ministri septem, Episcoporum Procuratores plurimi. In eo errores Lutheri et Calvini damnati fuerunt, et plurima quae fidem, et mores, necnon Ecclesiasticam disciplinam spectant, constituta, ut in eo videre est.

De reliquis Theologicis Locis.

Quinque alii Theologici Loci examinandi supersunt; nempe SS. Patrum auctoritas, auctoritas Scholasticorum, auctoritas Philosophorum etc., Rationis naturalis argumenta, et humana Historia (Proleg. §.ult.). Verum de his plura loqui Synopsis ratio non patitur. Unde omnes sequentibus regulis absolvemus.

§. 211. Regula I. *Unanimis SS. Patrum sententia in Doctrina fidei, et morum, et in divinarum Literarum expositione, quœ ad Dogmàta pertinet, infallibile divinœ Revelationis testimonium prœbet, ac firmissimum nobis exhibet veritatis argumentum.* Nam Sancti Ecclesiae Patres illi dicuntur, qui temporis antiquitate, orthodoxa eminenti doctrina, morumque sanctitate floruerunt, atque uti tales declarati sunt ab Ecclesia; Ergo etc. Deinde Sancti Patres sunt illi *Doctores, quos ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in œdificationem Corporis Christi*, Dominum Jesum dedisse, testatur Paulus ad Ephesios scribens (*a*); fieri ergo nequit ut eorum una-

(a) *Ephes. IV. n. 11.*

unanimis consensus in materia fidei et morum sit fallibilis; alias namque non in aedificationem Esslesiae, sed in destructionem dati essent; adeoque etc..

§. 212. Regula II. *Concors, atque constans omnium Theologorum Scholasticorum sententia circa aliquod fidei, vel morum dogma, est tantæ auctoritatis, ut ei contradicere, si non est erroneum, saltem errori proximum censeri debet*. Nam Theologi Scholastici nunquam aliquod Dogma uno ore asseruere, *quod vel ex Sacris Literis, vel ex Apostolorum traditione, vel ex Pontificum, aut Conciliorum definitionibus non habeat certam originem* (*a*); Atqui quod ab illis fontibus certam habet originem est tantae auctoritatis, ut ei contradicere, est saltem errori proximum; Ergo etc.

§. 213. Regula III. *Philosophorum omnium concors, et plena sententia, ubi de Philosophico dogmate agitur, firmum veritatis argumentum Theologo præbet.* Nam fieri nullatenus posse videtur, ut viri sapientes, et veritatis inquisitores, in aliquo dogmate admittendo conveniant, in

(a) Melchior *Canus Lib. VIII. de Locis Theolog. c. 4. concl. 3.*

quin verum sit, et tale, quale ab omnibus habetur. Quare ajebat Augustinus (a): *Philosophi autem qui vocantur, si qua forte vera, et fidei nostræ accommoda dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda*.

§. 214. Regula IV. *Argumentum, quod ex Civilibus Legibus, earumque Latoribus, et Interpretibus depromitur, magnum auctoritatis pondus Theologo exhibet*: Nam *Ipsa jura humana*, ait Augustinus (b), *per Imperatores, et Reges sæculi Deus distribuit generi humano*. Siquidem: *per me . . . . legum conditores justa decernunt*, inquit auctor Proverbiorum (c); Adeoque etc.

§. 215. Regula V. *Principia tantum communia rationis naturalis certum Theologo argumentum præbent*. Nam principia illa certa sunt atque evidentia; adeoque etc.

§. 216. Regula VI. *Omnes probati, ac graves historici, qui nullo contradicente factum aliquod enarrant, certum*

(a) *Lib. II. de Doctrina Christ. Cap. 40.*
(b) *Tract VI. in Joan.*
(c) *Cap VIII. v. 15.*

tum argumentum Theologo subminisrant. Etenim si unanimis historicorum consensus certitudinis argumentum non foret, de omni humana fide, probitate; prudentia, atque virtute actum esset; quod admitti nequit (*a*).

TRA-

(a) *Quæ hic desiderantur legi possunt apud* Ivenin *Tomo I. Dissert. IV. Quæst. 6. et seq.* Ex Charmes *Tomo I. append. Cap. VI. etc.*, *sed præcipue apud* Melchiorem Canum *de Locis Theol. Lib. VII. et seq.*

TRACTATUS V.

De iis quæ homini tam in exitu, quam post exitum de hoc Mundo eventura sunt.

QUoniam, docente Apostolo (*a*): *Non habemus hic manentem Civitatem, sed futurum inquirimus*, omni studio obnitendum est, ut sobrie, et juste, et pie viventes in hoc sæculo, digni inveniamur, qui accedere possimus *ad Jerusalem cœlestem; et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in Cœlis* (*b*). At quonam pacto eveniet, ut tanto bono fruamur aliquando, si pro eo fruendo et peccata odisse oportet, et bona opera perpetrasse? Est ne medium aliquod ita efficax, quo a peccatis præcavemur, et ad bona facienda incitemur? Est utique; Illud nempe a Spiritu Sancto propositum (*c*), et commendatum illis verbis: *In omnibus operibus tuis memorare Novissima tua, et in æternum non peccabis*. Quod si res ita se ha-

(a) *Hebræor. XIII. v.* 14.
(b) *Hebræor XII. v.* 22. 23.
(c) Ecclesiast. *Cap. VII. v. ult.*

habet, non inopportunum erit peculiare Tractatum de Novissimis habere; eo vel maxime, quod licet in S. Ecclesiæ Romanæ sinu nati simus, non pauci sunt, qui ea veluti præjudicatorum, atque superstitiosorum inventum rident, atque despiciunt: *Gens absque consilio, et sine prudentia. Utinam saperent, et intelligerent ac novissima providerent* (a). Ad rem itaque.

Caput I.

De hominis exitu de hoc Mundo, sive de morte.

§. 217. Mors hominis nihil aliud est quam amissio vitæ naturalis per separationem animæ a corpore, qua fit ut homo non amplius existat.

§. 218. Immortalis ille dicitur, qui vitam quam habet amittere nequit.

§. 219. Quoniam vero duplici ex capite aliquis nequit interire, vel nempe quia ejus naturæ est, ut nequeat non vivere, vel quia alterius, nempe Dei beneficio id obtinuit ut semper vivat; hinc du-

(a) Deuteronom. *Cap. XXXII. v. 28. 29.*

duplici sensu, quis dici potest immortalis, vel nempe ex suae naturae constitutione, vel beneficio Dei. Duplicem hanc hominis immortalitatem designavit Augustinus, primam per verba illa *non posse mori*; secundam per illa alia *posse non mori* (*a*).

§. 220. Circa hominis mortem duplex adest oppositus error, Baji nempe, et Pelagii. Bajus docuit hominem a Deo conditum fuisse, conditione naturae immortalem; Pelagius e contra sustinuit hominem ita mortalem fuisse a Deo conditum, ut sive peccasset, sive non semper mortem subiisset. Utrumque errorem detestantur Catholici, atque hominem cum S. Augustino (*b*) mortalem dicunt, *conditione corporis animalis*, immortalem vero *beneficio Conditoris*, adeo ut si non peccasset, potuisset non mori. Et recte quidem, ut ex sequentibus patebit.

PRO-

(a) *Lib. VI. de Gen. ad liter. circa fin.*
(b) *Ibid.*

Propositio I.

Homo mortalis erat conditione naturæ, et si perseverasset in statu innocentiæ, immortalis fuisset beneficio Conditoris.

§. 221. Prob. 1. pars. ex Scripturis. In Ecclesiastico legitur (*a*) : *Deus creavit de terra hominem* ; Atqui, ex eodem (*b*): *Quæ de terra sunt in terram convertentur* ; Igitur homo conditione suae naturae mortalis erat.

§. 222. Prob. 2. pars. etiam ex Scripturis. In Sapientiae libro habetur (*c*) : *Deus creavit hominem inexterminabilem*; hoc est immortalem, et qui non esset e vita sxterminandus (*d*); Atqui homo talis non erat conditione naturae (§. 221.); ergo et beneficio Conditoris. Deinde Deus minitatur homini mortem si ederet de fructu vetito, dicens (*e*) : *In quocumque die comederis ex eo morte mo-*

(a) *Cap. XVII. v.* 1.
(b) *Ibid. Cap. XLI. v.* 13.
(c) *Cap. II. v.* 23.
(d) Tirinus *in hunc loc.*
(e) Gen. *II. v.* 17.

morieris; idest mortalis eris (*a*); Ergo si non peccasset, et in statu innocentiae perseverasset, fuisset immortalis; sed hoc non ex conditione naturae (§. eod.); Ergo etc.

§. 223. Prob. haec eadem 2. pars testimonio D. Augustini, qui sic ait (*b*): *Erat Adæ corpus mortale, sed non moriturum: Sicut hoc nostrum potest, ut ita dicam esse ægrotabile, sed non ægrotaturum*. Et alibi (*c*): *Illud quippe*, ait (nempe Adae corpus), *ante peccatum, et mortale secundum aliam, et immortale secundum aliam causam dici poterat, idest mortale, quia poterat mori, immortale quippe, quia poterat non mori; Aliud est namque non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis: Quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ . . . . mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris. Si namque*

(a) Hieronym. *in hunc loc.*
(b) *Lib. I. de peccat. merit. Cap. 3.*
(c) *Lib. VI. de Gen. ad lit. circa fin.*

corpus animale, utique mortale; quia et mori poterat, quamvis et immortale ideo, quia et non mori poterat. Ergo etc. Jure itaque meritoque a Pio V:, et Gregorio XIII. damnata fuit hæc Michaelis Baji propositio: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis ejus conditio.*

Propositio II.

Si Adam non peccasset tam ipse, quam ipsius posteri fuissent immortales.

§. 224. Probatur 1. ex Scripturis tum Veteris cum Novi Testamenti. In Libro Sapientiæ (*a*) habetur: *Deus mortem non fecit*; et iterum (*b*): *Deus creavit hominem inexterminabilem; invidia autem Diaboli mors intravit in orbem*; Ergo ex Veteri Testamento si Adam etc. Deinde Apostolus ad Romanos (*c*) ait: *Per unum hominem peccatum intravit in Mundum, et per pecca-*

(a) *Cap. I. v. 13.*
(b) *Cap. II. v. 23.*
(c) *Roman. V.*

catum mors ; et ad Corinthios scribens (*a*) inquit : *Per hominem mors* ; Ergo si Adam etc.

§. 225. Prob. 2. ex Conciliis. Concilium Milevitanum hæc habet (*b*) : *Quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, itaut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit*. Tridentinum, ut cætera taceam, Carthaginense nempe, et Arausicanum II., ita statuit (*c*) : *Si quis non confitetur, primum hominem Adam cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem et justitiam, in qua constitutus fuerat amisisse, incurrit, et incurrisse per offensam prævaricationis hujusmodi iram, et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea ille comminatus fuerat Deus . . . . anathema sit*. Ergo etc.

§. 226. Probatur tandem ex SS. Patribus, pro quibus omnibus unus sufficiat Augustinus, qui postquam plu ribus

 in

(a) *Corinth.* XV.
(b) *Can. I.*
(c) *Sess. V.*

in locis ostenderat mortem hominis pœnam esse peccati Protoparentis , ita (a) concludit: *Corpus mortuum est , non propter fragilitatem terrenam, quod de terræ pulvere factum est ; sed propter peccatum . Quid amplius quærimus?*

Dices. Si mors esset pœna peccati originalis, BB. Virgo Maria , quæ hodie communiter dicitur , et tenetur absque peccato originali concepta, non debuisset mori; Atqui mortua est; Ergo mors non est etc. Adeoq. etc.

§. 227. R/. Sicuti in statu Innocentiæ Corpus Adae mortale erat conditione naturæ (§.22.), ita corpus BB. Virginis Mariæ innocentis mortale fuit . Conditione proinde corporis animalis mortua est Virgo, non caussa culpae originalis, quae in ea non fuit. At inquies : si Adam non peccasset, non fuisset moriturus ; Ergo et Virgo quia non peccavit, non debuisset mori . Utique, respondetur; at id Adae praestabatur beneficio Conditoris (§.222.), et de ligno vitæ, ut ait Augustinus (§. 223.); Conveniens autem non fuit , ut idipsum BB. Virgini concederetur ; imo decens fuit ut ipsa moreretur , tum ut conformis esset Filio suo, et Domino nostro,

(a) *Lib. I. de peccator. merit. Cap. 4.*

stro, qui licet peccatum non fecerit, nec facere potuerit, ratione tamen assumptae humanitatis mortem voluit subire; tum ut agnosceretur ipsam veraciter fuisse de humano genere, et de propagine illa, de qua dicit Apostolus (*a*): *statutum est hominibus semel mori*; tum denique ut ejus meritum augmentaretur, sicuti bonis operibus, ita etiam passionibus, et tribulationibus æquanimiter toleratis. Ex quo itaque BB. Virgo, etsi ab originali culpa praeservata, mortua sit, non recte infertur mortem originalis culpae pœnam non esse.

PROPOSITIO III.

Nemo est de posteris Adæ, qui a morte sit immunis.

§. 228. PRobatur. Nam: *quis est homo*, ait David (*b*), *qui vivit, et non videbit mortem? Omnes morimur*, legitur Lib. II. Regum (*c*), *et quasi aquæ* di-

(a) *Vid.* Bern. a Busto *in Mariale serm.* 2. *de Concept. Virg.*
(b) *Psal.* 44. *v.* 49.
(c) *Cap. XIV. v.* 14.

dilabimur in terram; et Paulus ad Hebraeos (*a*): *Statutum est hominibus semel mori*; Quia, ut scripsit ad Romanos (*b*): *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*; Ergo etc.

Adversariorum objectiones solvuntur.

Objic. Apostolus ad Timotheum scribens ait (*c*): *Testificor coram Deo et Jesu Christo, qui judicaturus est vivos, et mortuos*; Ergo in fine Mundi, omnes illi qui vivi reperientur, quin gustent mortem, a Christo Domino judicabuntur; adeoque falsa propositio.

§. 229: ℟. dist. ans. Et per vivos intelligit Apostolus justos, et electos, sicuti per mortuos intelligit malos et reprobos, concedo; per vivos intelligit qui mortui non sunt, subd., qui nec mortui fuerunt, nec morientur, nego ans., intelligit eos qui viventes tunc inventi, brevi temporis spatio e vita discessi, iterum resurgent, concedo; Ergo etc., n. consm. Laudata Pauli verba, et alia illis similia, quæ

(a) *Cap. IX. v. 27.*
(b) *Cap. V. v. 12.*
(c) *Epist. II. Cap. IV. v. 1.*

quæ alibi leguntur, sicuti etiam illa Symboli Apostolici: *Venturus est judicare vivos, et mortuos*, secundum datam distinctionem a SS. Ecclesiæ Patribus, Augustino præsertim, atque D. Thoma explicantur. Loquens sane Doctor Angelicus de verbis illis Apostoli in argumento adductis, inquit (*a*): *Vivos dicit* (Paulus) *illos, qui vivi reperientur in adventu ejus* (scilicet Christi), *qui morientur quidem, sed quia in modico tempore resurgent, dicuntur vivi* I. Thess. 4. Nos qui vivimus: qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt. *Vel vivos dicit bonos, scilicet qui vivunt vita gratiæ, et mortuos malos* 3. Joan. 3. Qui non diligit manet in morte. *Et hos etiam judicat* Act. 10. Ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum, et mortuorum. *Quod autem dicimus*, ait S. Augustinus (*b*), *in Symbolo, in adventu Domini vivos ac mortuos judicandos non solum justos, et peccatores significari, sicut Diodorus putat, sed et vivos, qui in carne inveniendi sunt*

 cre-

(a) *Comment. in Epist. II. ad Timoth. Cap. IV.*
(b) *Lib. de definitionibus Orthodoxæ fidei n. 3. Leg. Lib. XX. de Civit. Dei Cap. 20.*

credimus, *qui adhuc morituri creduntur*, *vel immutandi sunt* , *ut alii volunt*, *ut suscitati continuo vel reformati cum ante mortuis judicentur* . Nihil ergo ex citatis verbis Apostoli contra expositam thesim .

Contra . Atqui Apostolus per vivos ibi intelligit qui necdum mortui sunt , nec erunt morituri ; Ergo etc. Prob. subsm. Apostolus de finali judicio loquens , nullam temporis moram ponit inter vitam , quam nonnulli tunc habebunt , et raptum ad judicium ; ait namque ad Thessalonicenses scribens (*a*) : *Nos qui vivimus* , *qui relinquimur*, *simul rapiemur cum illis obviam Christo in aera* ; si ergo vivi simul rapiemur , procul dubio mortem non gustabimus ; Adeoque etc.

§. 230. ℟. cum D. Thoma (*b*) . *Occasione horum verborum crediderunt aliqui quod futuri in fine nunquam morerentur*, *ut dicit Hieronymus in Epistola*, *propter hoc quod dicit*. Deinde nos etc. *Alias enim frustra distingueret viventes a morientibus*, *sed contra*: I. Corinth. 15. Omnes quidem resurgemus . *Item* sicut in Adam omnes moriun-

(a) *I. ad Thessal. Cap. III. v. 16.*
(b) *Comment. in I. Epist. ad Thessal. Cap. II.*

riuntur etc. *ut habetur* Rom. V. *Ergo mors ad omnes pertransiit . Dicendum est ergo , quod aliqui invenientur vivi in tempore illo quo Christus veniet ad judicium , sed in illo momento temporis morientur , et statim resurgent . Et ideo propter modicam interpellationem reputantur viventes .* Propterea etc,

Contra . Atqui per viventes laudato in loco non morituros intelligit Apostolus ; Ergo a capite argum. Eodem sensu locutus est Apostolus , dicens viventes rapturos fore ad judicium , quo dicitur in Apocalypsi Antichristum, ejusque præcursorem mittendos fore in Infernum ; Atqui dicitur in Apocalypsi (*a*) , quod : *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure* ; ergo pariter illi vivi , quin moriantur , rapientur obviam Christo in aera ; adeoque etc.

§. 231. ℟. Falso hic supponitur Antichristum non esse moriturum , cum dicat Pàulus ad Thessalonicenses (*b*) , quod eum *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui* , idest mandato suo , ut explicat S. Thomas (*c*), per Michaelem Archange-

(a) *Cap. XIX. v. 20.*
(b) *II. ad Thessal. Cap. IV. v. 8.*
(c) *Comment. in II. Epist. ad Thess. Cap. 2.*

gelum. Quod ergo dicitur: *vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis*, non est intelligendum, ajunt Expositores Sacri, quin moriantur (*a*), sed quod tanta erit celeritas et promptitudo in esecutione damnationis eorum; tam inopinato, et repente a statu vitæ, et existentiæ, ad statum mortis, et detrusionis in Inferno transibunt, ut videantur non obiisse, sed viventes in Infernum descendisse; Adeoq. etc.

Caput II.

De statu Animæ post mortem corporis.

§. 232. ANima humana est substantia illa, qua homo vivit, intelligit, ratiocinatur; vult, atque sui suarumque intellectionum, volitionum etc. est conscius.

§. 233. Hanc substantiam existere, atque spiritualem esse, omnis nempe corporeæ, et materialis compositionis expertem, si quosdam excipias tum veteres, tum

(a) *Vid.* S. Bonaventura *in hunc locum* S. Bernardinus Senensis, Gagnæjus, Estius etc.

tum Recentes Epicuri de schola Materialistas sibimetipsis injurios, Eruditi omnes, et bene morati Sapientes non solum (*a*); sed et Sacræ paginæ pluribus in locis manifestissime ostendunt. Et sane (ut hic tantum quæ Theologi sunt persequamur), quid indicant verba illa Moysis dum loquitur de creatione animae a Deo facta postquam Adae corpus jam perfecerat: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ* (*b*), *et factus est homo in animam viventem*? Quid illa alia (*c*): *Revertatnr pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*? Quid tandem, ut alia sileam, illa Christi Domini apud S. Matthaeum (*d*): *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*? Hoc procul dubio; animam nempe hominis diversam esse a corpore, nobilioris naturae, atque spiritualem. Nam si modo longe diverso ac corpus creata fuit; si pereunte corpore

---

(a) *Inter Recensiores legant*. Genuensis *Elem. Metaph. p. II. Cap. I. de Natura mentis humanæ et seg.* Fortunatus a Brixia *Metaph. par. II.* P. Odoardus del Giudice *in Psychologia*. De Martiis *Metaph. p. II. Cap. 2.*

(b) *Genes. II. v. 7.*

(c) *Eccles. Cap. XII. v. 7.*

(d) *Cap. X. v. 28.*

re non perit, sed ad Deum revertitur; si nequit, quemadmodum corpus occidi, certe spiritus est, et omnis corporeae, et materialis compositionis expers.

§. 234. Quoniam ergo Anima in homine existit, atque est spiritualis naturae (§. 233.), cumque certum sit, omnem hominem morti esse obnoxium (§. 228.), merito disputatur quid de ea erit post corporis separationem. Ex Veteribus praeter Arabes, et Sadducaeos, permulti ex Philosophis, animam immortalem esse inficiati sunt. Adveniente autem vera Evangelica luce, qua vetus error abiit, homo vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis, et omnes homines in admirabile Jesu Christi lumen vocati, in lumine isto, lumen sanae doctrinae, et infallibilis veritatis viderunt, doctrinam de Animae immortalitate, atque de altera vita didicerunt, et tenuerunt; quare ut filii lucis ambulantes in omni justitia, et bonitate, ad contemplandam simul, et perfruendam lucem illam inaccessibilem, quam habitat Deus in Cœlis translati sunt. Verumtamen (quis porro credidisset aliquando futurum?) in meridiana luce caecutientes ipsi filii lucis

non

non pauci, quae de altera vita revelata sunt, rident, atque aspernantur. Heu! personare iterum audiuntur, non sine scandalo, antiquorum impiorum voces, de quibus scribit Auctor Libri Sapientiæ (*a*): *Non est refrigerium in fine hominis: non est agnitus qui sit reversus ab inferis: ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tamquam non fuerimus . . . cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tanquam mollis aer etc.* At quam immerito ex sequentibus patebit.

PROPOSITIO I.

Anima humana post mortem corporis vivit, nec naturaliter interire potest.

§. 235. Probatur 1. pars. Nam in Ecclesiaste (*b*) habetur: *Revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* 2. Psalmista ait (*c*): *Placebo Domino in regione vi-*

(a) *Cap. II.*
(b) *Cap. XII. v. 7.*
(c) *Psal. 114. v. 9.*

vivorum; et alibi (*a*) : *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo*; *me expectant justi donec retribuas mihi*. 3. In Libro Sapientiæ (*b*) legitur : *Justorum animæ in manu Dei sunt*, *et non tanget illos tormentum mortis* : 4. apud Joannem ait Christus (*c*) : *Qui odit animam suam in hoc Mundo in vitam æternam custodit eam*. Quibus positis tale liceat efformare argumentum: Anima pereunte corpore vivit, si redit ad Deum ; si Deo placet in altera vita, ibique nomini ejus confitetur ; si est in manu Dei, et in vitam æternam custoditur. Atqui ex allatis testimoniis, res ita se habet ; Ergo etc.

§. 236. Prob. 2. pars auctoritate, et rationibus S. Gregorii Neocæsariensis (*d*). » Cum anima, *ait ille*, corpore careat, » simplex est : Siquidem nec est compo» sita, nec plurium partium. Consequens » vero mihi videtur, ut quod est sim» plex, sit immortale. Quomodo autem » id

(a) *Psal. III. v.* 8.
(b) *Cap. III. v.* 1.
(c) *Cap. XII. v.* 25.
(d) *Lib. de anima apud* Card. Cozza *Comm. de Hæres. Parte II. in Hæresim VIII.*

» id efficiam, accipe. Nihil seipsum corrumpit: alioquin enim ne initio quidem constitisset: sed quæ corrumpuntur ex contrariis corrumpuntur. Quidquid enim corrumpitur, dissolvitur; quod dissolvitur, compositum est. Compositum multarum est partium: quod ex partibus constat, ex his nimirum constat differentibus: quod autem differens est, idem non est. Proinde cum anima sit simplex, neque ex pluribus constet partibus: quia nec composita est, nec dissolvi potest, sequitur ut corrumpi nequeat, et sit immortalis «.

§. 237. Probatur tandem ex Concilio Lateranensi, et ex Auctore Apostolicarum Constitutionum. Lateranense quippe his verbis se expedit: *Damnamus, et reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse*. Auctor vero Apostolicarum Constitutionum (*a*) inquit: *Animam nostram incorpoream, et immortalem confitemur, non autem interitui obnoxiam ut corpora, imo mortis expertem, utpote rationalem, ac liberæ potestatis*.

PRO-

(a) *Lib. VI. Cap. XI.*

PROPOSITIO II.

Anima post corporis mortem præmii, atque supplicii est capax.

§. 238. PRobatur 1. ex Scripturis. Ac 1. quidem ait Psalmista (*a*): *Prætiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus* (*b*): *mors peccatorum pessima*; Ergo anima est capax præmii, vel supplicii, alias quomodo prætiosa mors Sanctorum, pessima mors peccatorum? æqualis foret mors omnium, quia quoad mortem naturalem, omnes æque moriuntur sive justi, sive peccatores (§.227.): 2. Christus Dominus pluribus in locis hanc docet veritatem. Loquens namque de prædestinatis ait (*c*): *Oves meæ vocem meam audiunt* . . . . *et ego vitam æternam do eis*, *et non peribunt in æternum*. Deinde de Divite et Paupere disserens, illius pœnam, et damnationem, hujus fælicitatem, et gloriam describit, parabolam concludens verbis Abra-

---

(a) *Psal.* 125. *v.* 15.
(b) *Psal.* 33. *v.* 22.
(c) *Joan.* X. *v.* 28.

brahæ dicentis Epuloni (*a*): *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Tandem hanc eamdem veritatem confirmavit cum dixit Discipulis (*b*): *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlis*; et cum asseruit, quod completo finali judicio (*c*): *Ibunt hi* (scilicet peccatores) *in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*: Ergo etc.

§. 239. Prob. 2. Hac ratione S. Bonaventuræ (*d*): » Nullum bonum est » irremuneratum, et nullum malum im» punitum est apud eum, qui juste ju» dicat, sed multa bona remanent irre» munerata, et multa mala impunita se» cundum præsentem vitam: ergo est po» nere aliam vitam, quam hanc: sed » hæc non esset, nisi anima remaneret » post corpus: Ergo etc.

Adversariorum objecta solvuntur. Objic. In Ecclesiaste (*e*) ita legitur: *Unus est interitus hominum, et jumentorum*;

(a) *Luca XVI. v.* 25.
(b) *Luca X. v.* 20.
(c) *Luca XXV. v.* 46.
(d) *Lib. II. Sent. Dist.* 19. *art.* 1. *q.* 1.
(e) *Cap. III.* 2. 19.

rum , et æqua est utriusque conditio . . . et nihil habet homo jumento amplius; Atqui jumenta quoad corpus et animam intereunt; Ergo ita etiam homines; adeoque falsa propositio.

§. 240. ℟. dist. maj. Unus est etc., si loquitur de morte hominis naturali, qua nempe homo desinit vivere, conc. maj. si loquitur de morte animæ, n. maj., et concessa min., nego utramque consm. Ecclesiastes laudato in capite optime statuerat animæ immortalitem, cum dixerat (*a*): *Justum et impium judicabit Deus*; Et sane ad quid hoc Dei judicium si anima superstes corpori non foret, et præmii, suppliciique capax? Cum ergo hominem in morte jumento æqualem facit, ibi loquitur tantum de morte naturali hominis, et quoad corpus, non vero de animæ morte, quæ mori nequit (§. 235. 236.) Et recte quidem. Nam experientia teste, quod attinet ad corpus, tam homines quam jumenta æqualis sunt conditionis, pari modo dolent, ægrotant, spirant, vivunt, moriuntur; nec habet aliquid homo jumento amplius.

Contra. Atqui non solum quoad mortem corporis, sed etiam quoad mortem ani-

(a) *Ibid. v.* 17.

nimæ, ait Ecclesiastes, æqualem esse interitum hominum, et jumentorum; Ergo n. r. Prob. subsm. Ecclesiastes post laudata verba subjungit; *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum: et si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Ergo etc.

§. 241. R/. cum S. Hieronymo (a). » Hæc dixit (Ecclesiastes), non quod » animam putet perire cum corpore, vel » unum bestiis, et hominibus præparari » locum, sed quod ante adventum Christi omnia ad inferos ducerentur. Unde et Jacob pariter ad inferos descensurum se dicit. Et Job, pios et impios in inferno queritur retentari. Et » Evangelium, Chaos magnum interpositum apud inferos, et Abraham cum » Lazaro, et divite in suppliciis esse testatur. Et revera antequam flammeam » illam rotam, et igneam romphæam ad » Paradisi fores Christus cum Latrone » reseraret, clausa erant Cœlestia, et » spiritus pecoris hominisque æqualis u- » tilitas coarctabat. Et licet aliud videretur dissolvi, aliud reservari, tamen » non multum interesset perire cum cor-

 » po-

(a) *Apud* a Lapide *Comment. in hunc loc. in quo plura de hac re.*

» pore, vel inferni tenebris detineri. Nihil ergo ex adducto testimonio contra nostrum thesim eruitur.

Objic. 2. Apostolus ad Timotheum scribens (*a*) ait: *Solus* (Deus) *habet immortalitatem*; Ergo anima etc.

§. 242. ℟. dist. sensum auct. Solus Deus habet immortalitatem absolutam, perfectissimam, atque independentem, conc,; Nulla alia substantia habet immortalitatem relativam atque contingentem, n. ans., et consm. Duplex immortalitas, quod attinet ad rem præsentem, distinguenda est, una nempe *absoluta*, *essentialis*, atque *perfectissima*, et haec est solius Dei; Deus namque nedum ex intrinseca sua natura immortalis est, sed praeterea nullam habet externam potentiam, a qua vita privari possit; essentialiter est ergo immortalis; alia est *relativa*, et *contingens*, et hanc animae rationali tribuimus: Haec namque, licet ex intrinseca constitutione suae naturae sit incorruptibilis, adeoque immortalis (§. 236.), posset tamen a Deo annihilari; unde si non annihilatur, id est ex voluntate Dei creatoris. Cum ergo priorem immortalitatem nulla creatura habeat, et ha-

(a) *I. ad Timoth. Cap. VI. v. 16.*

habere possit, merito dicit Apostolus solum Deum esse immortalem (a).

Caput III.

De Judicio particulari.

§. 243. Quoniam anima humana post mortem corporis vivit (§. 235.), atque præmii vel supplicii est capax (§. 238.); cumque præmium vel supplicium nonnisi a Domino Jesu Christo, qui judex constitutus est vivorum et mortuorum (b), quique propterea justum et impium judicabit (c), et reddet unicuique secundum opera decerni possit, ac debeat, omnino propterea consequens est, ut quælibet anima, ante Domini tribunal se sistat, judicium subitura.

§. 244. Est autem Judicium, quod ad rem attinet, actus, quo justus remunerator Dominus, aut piis pro bene gestis

S 3 præ-

(a) *Vid.* S. Bonaventura *lib, II. Sent. Dist.* 19. *art.* 1. *q.* 1. Boucat *Tomo II. pag.* 214. *et seq.* Berti *Tomo III. pag.* 25.
(b) *Actor. X. v.* 42.
(c) Ecclesiast. *Cap. III. v.* 17.

præmia, aut impiis pro sceleribus supplicia decernit, et confert.

§. 245. Porro qui ex hac vita discedunt, in triplici statu considerari possunt. Alii namque ita justi, et perfecti sunt, ut nihil eis superest luendum, ut digni habeantur æterna beatitudine frui, et ante conspectum Dei stare in Cœlesti gloria; alii e contra, læthali culpa, vel peccato originali maculati, digni sunt qui procul abjiciantur a Sanctorum, et Dei societate, et in Infernum deducantur; alii tandem vel quia pro peccatis læthalibus commissis et rite confessis haud plene satisfecerunt in vita, vel quia habent venalia quæ solvant, nec Paradiso, neque Inferno digni sunt, sed purgari indigent aliquo in loco ad id destinato. At quando justis præmium, impiis supplicium a Domino retribuetur, statim a corporis morte, an peracto finali Judicio?

§. 246. Justis præmia, impiis supplicia ad finem extremi Judicii reservari, Haeretici plures tum veteres, tum recentes commenti sunt. Primus qui in hunc errorem impegit fuit Novatianus, postea Vigilantius, et cum eis Armaeni, atque Graeci. Ex recensioribus eumdem errorem amplexati sunt Lutherus, Agrippa, et Calvi-

vinus, necnon Burnetus, aliique (a).

PROPOSITIO I.

Justi, quibus nihil superest luendum, statim a morte, cœlesti beatitudine fruuntur; Impii e contra in Infernum damnati descendunt.

§. 247. Probatur 1. pars. ex Scripturis. Christus moriens, Latroni mox etiam morituro dixit (b): *Hodie mecum eris in Paradiso*; Atqui nomine Paradisi hic nonnisi visio beatifica intelligitur; Ergo justi etc. Deinde Jacobus Apostolus (c) ait: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ*; Atqui status praesentis vitae est status tentationis, et probationis; Ergo elapso hoc statu, illico accipitur corona vitae; adeoque etc. Ulterius; *Dum sumus in corpore*, ait Paulus (d), *peregrinamur a Domino*

(a) *Vid. Gener Theol. dogmat. Schol. Tomo IV. P. II. Tract. III. Lib. II. Cap. 3. §. 4.*
(b) *Luca XXIII. v. 43.*
(c) *Cap. I. v. 12.*
(d) *II. Corinth. Cap. V. v. 6. et seq.*

. . . . *audemus autem , et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore , et præsentes esse ad Dominum ;* Sed peregrinari a corpore est mori ; ergo statim a morte praesentes sumus ad Dominum; adeoque etc. Tandem idem Apostolus (*a*) sic ait : *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur , quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam , sed æternam in Cœlis :* » Ergo , manifeste dat intelligere Apo» stolus , *ait D. Thomas* (*b*), quod dis» soluto corpore anima ad aeternam , et » coelestem mansionem perducitur, quae » nihil aliud est quam fruitio divinitatis, » sicut Angeli fruuntur in Coelis . . . . » Hoc autem idem ostendunt et verba » ejusdem Apostoli Philipp. dicentis , *de» siderium habens dissolvi et cum Chri» sto esse* .

§. 248. Probatur 2. eadem pars ex Concilio Florentino, ubi (*c*) dicitur : *Definimus , illorum animas , qui post baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam , vel in suis corporibus ,*

vel

(a) *Ibid. v. 1.*
(b) *IV. contra Gent. Cap. 91.*
(c) *Tomo III. Concil. pag. 1167. D.*

vel iisdem exutæ corporibus sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est in se, pro meritorum tamen diversitate alius alio perfectius.

§. 249. Probatur 2. pars. Ex Scripturis. In Libro Numeri (*a*) describitur repentina pernicies Core, Dathan, et Abiron, atque dicitur: *Descenderuntque vivi in infernum operti humo, et perierunt de medio multitudinis*. Job quoque de impiis loquens ait (*b*): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*; et Salvator apud S. Lucam ait (*c*): *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno*. Si ergo impii post mortem descendunt in infernum, ibique sepeliuntur; ibique cruciantur in flamma ignis, ut testatur Epulo dives in inferno sepultus: *crucior in hac flamma*, procul dubio non punientur post extremum Judicium; adeoque etc.

§. 250. Probatur 2. eadem pars ex Concilio Florentino (*d*), in quo definitum le-

(a) Cap XVI. v. 33.
(b) Cap. XXI. v. 13.
(c) Cap. XVI. v. 22.
(d) Collat. 12.

legitur: *Illorum animas, qui in mortali actuali peccato, vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas*: Ergo etc. (*a*).

Objectiones adversariorum solvuntur.

Objic. 1. S. Joannes in Apocalypsi testatur (*b*) se vidisse subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, quæ voce magna clamabant: vindica sanguinem nostrum . . . Quibus dictum est ut requiescerent adhuc tempus modicum donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi. Atqui hujusmodi animæ sunt animæ Martyrum; Ergo si expectare debent ut impleatur numerus fratrum et simul glorificentur, cum iste numerus nonnisi in die Judicii impleatur, profecto tunc æterna felicitate potientur; adeoque etc.

§. 251. R/. dist. maj. Et laudato testimonio innuitur solum, completam beatitudinem, animæ scilicet, et corporis ex-

pe-

(a) *SS.* [illegible]*rum auct. legi possunt penes* Mansfrium *Disp. XXIV. de Purgat. Lib. IV. art.* 1. Tournely *Tomo I. pag.* 262. Franciscum a Breno *Tomo I. pag.* 138.

(b) *Cap. VI v. 9.*

pectandam esse in finali Judicio, conc. maj., beatitudinem etiam solius animæ, nego maj., conc. min., et n. consm. Nequaquam laudato in loco loqui potest S. Joannes de animæ felicitate usque ad Judicii finalis executionem suspensa, alias sibi ipsi contradiceret. Pluribus namque in locis ejusdem Libri satis aperte dicit, animas separatas a corpore, jam æterna beatitudine frui, quas signat per innumeram turbam, quam vidit ex Gentibus, stantem ante Thronum Dei cum stolis albis, et palmis, et gratias agentem, et laudantem Deum (*a*). Loquitur proinde de completa beatitudine, quam animæ exoptant, fruenda simul cum corpore, completo finali Judicio. Audiatur S. Bernardus qui de illis animabus loquens, sic ait (*b*): *Acceperunt jam singulas stolas: sed non vestiuntur duplicibus, donec vestiamur et nos . . . . . stola enim prima ipsa est, quam diximus, felicitas, et requies animarum: secunda vero, immortalitas, et gloria corporum. Unde et dicunt: Vindica, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum, qui effusus est; non tamquam* vin-

(a) *Cap. VII. v. 9*

(b) *Serm. III. in Festo Omnium Sanctor n. 1.*

vindictæ cupidi . . . . sed desiderio resurrectionis , et glorificationis corporum suorum , quam nimirum usque in diem judicii differendam esse non dubitant .

Objic. 2. Tunc animæ justorum æterna beatitudine fruentur, cum illa dabitur ipsis possidenda ; Atqui in Judicio finali Electis dicet Christus Judex (a) : *Venite benedicti Patris mei , possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi* ; Ergo etc.

§. 252. ℟. Quoniam in consummatione sæculi universale Judicium fiet, procul dubio sententia ferenda est, propterea justos vocari ad regni parati et promissi possessionem , impios vero ad inferos mitti , necesse est ; hoc autem nihil vetat quin antea justi fuerint in Coelo beati , et impii in inferno detrusi . Nam ante Judicium universale anima sola gaudet cum Christo in Coelo , vel cruciatur cum Doemonibus in inferno . Quia vero in universali Judicio totus homo , ut constans nempe anima et corpore ad æterni regni possessionem vocatur , merito dicitur justos tunc ad æternam beatitudinem possiden-

dam

(a) *Matth. XXV. v. 34.*

dam vocari, licet antea quoque beati fuerint.

Objic. 3. Multi Patres, inter quos Justinus, Irenæus, Nepos Ægyptius, Lactantius, Severus Sulpitius, et aliquando Augustinus ipse; imo quod mirum est, Summus Pontifex Joannes XXII. docuerunt, animas justorum non potiri beatitudine ante diem Judicii; ergo etc.

§. 253. ℟. Mirari non debemus, si aliqui ex Ecclesiæ Patribus, et viri doctissimi in hanc abjerint sententiam, ut nempe putarent, animas post mortem non statim vel æterna beatitudine donari, vel poena affici, sed id in die Judicii reservari. Cum namque tunc temporis hæc nostra Catholica veritas non esset satis discussa, et definita, licebat de ea disputare. Quare laudati Doctores nec fuerunt hæretici, nec pro hæreticis haberi possunt. Quod vero attinet ad Pontificem Joannem XXII., esto multi eum ab errore excusare conentur (a), patet nihilominus ipsum favisse quidem errori, at numquam aliquid determinasse ut Pontifex, et Petri successor; Quod si ut Doctor privatus aliquid dixit, prædicavit aut

(a) Claudius Frassen *Tomo I. Disp. III. art. 7, Sect. I. q. 1. Quæres 2.*

aut scripsit, quod errori favere videbatur, sollemniter postea retractavit, et suam mentem aperuit dicens (a): *Illa diximus prædicavimus seu scripsimus recitando, et conferendo, et non determinando, nec etiam tenendo . . . insuper . . . illa habemus et haberi volumus pro non dictis, prædicatis, et scriptis, et ea revocamus expresse.*

Objic. 4. Eadem est putanda sors damnatorum ac Dæmonum; atqui Dæmones non cruciabuntur nisi post finale judicium; Ergo et damnati; adeo etc.

Probatur min. Apud Matthæum (b), Doemones ajunt Christo: *Quid . . . venisti ante tempus torquere nos?* Et apud Lucam (c): *rogabant illum, ne imperaret illis ut in abyssum irent*. Unde Dæmones dicuntur Rectores Mundi (d), et Principes tenebrarum harum; insuper Spiritualia nequitiæ in Coelestibus, et Potestates aereæ. Ergo etc.

§. 254. ℟. Cum S. Petrus apertissime

(a) *Apud* Raynal. *ad an.* 1336. 37.
(b) *Cap. VIII v.* 29.
(c) *Cap VIII. v.* 31.
(d) *Ephes. II. v.* 2. *et Cap. VI. v.* 12.

me dicat (a): *Deum Angelis peccantibus non pepercisse , sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidisse cruciandos* , summa stultitia est asserere , eos reservari post Judicium universale puniendos . Quod si dicuntur per aera volitare, Rectores esse Mundi etc., id non ita accipiendum est quasi nihil adhuc patiantur , sed quod non adhuc complete , quemadmodum post finale Judicium, torquentur ; cum nempe in inferno detrusi nequibunt amplius inde exire , et hac illac vagari . Cæterum modo etiam *ubicumque Dœmones volitant* (verba sunt Bedæ Comment. in c. III. Epist. S. Jacobi), *vel in terris aut sub terris vagantur , sive detinentur , suarum secum ferunt semper tormenta flammarum* .

PRO-

(a) *Epist. II. Cap. 12. v. 4.*

Anima quælibet cum a corpore separatur particulare subit Judicium, quo ei pœna, vel præmium decernitur.

§. 255. PRobatur. Nam Apostolus ad Hebræos scribens, ait (*a*): *Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem Judicium*; quod autem hoc Judicium in actu separationis animæ a corpore fiat, patet ex eo quod cupiebat dissolvi, et esse cum Christo (§. 247.). Deinde Jacobus Apostolus admonens fideles ut recte agerent, ait (*b*): *Ecce Judex ante januam assistit*: certe hic non loquitur de Judice venturo in fine Mundi; etenim non dixisset: *ante januam*, nempe in exitu animæ a corpore; mors quippe est janua alterius vitæ; neque dixisset: *ecce assistit*, sed in fine sæculorum venturum; loquitur ergo de Judice in Judicio particulari venturo ad judicandum quemcumque in exitu ex hoc Mundo. Tandem, quælibet anima a corpo-

(a) *Cap. IX. v. 27.*
(b) *Cap. V. v. 9.*

pore separata est capax præmii, vel supplicii (§. 238.), neque expectandum est finale Judicium ut pœna afficiatur, vel præmio, sed statim ac separatur a corpore, quod justum est accipiet (§. 255. et seq.); Atqui sine Judicio nec justis præmia, nec impiis pœna datur (§. 243.); Ergo quælibet anima etc.

PROPOSITIO III.

Animæ cum solo peccato originali decedentes, pœna tantum damni, privatione scilicet visionis beatificæ, afficientur.

§. 256. Probatur. Nam ait Christus Dominus (*a*): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; Atqui animæ, quæ cum originali decedunt, non sunt per baptismum renatæ; Ergo etc.

§. 257. Probatur 2. quod nulla alia pœna afficientur, præterquam pœna damni. Duæ aliæ pœnæ impiis in altera vita dabuntur, pœna nempe sensus, et pœna vermis; pœna sensus, cruciatus scilicet

t ab

(a) *Joan. III. v. 5.*

ab igne infernali, quæ respondet conversioni ad creaturam, pœna vermis, nempe conscientiæ remorsus, quæ respondet delectationi habitæ in peccando; sed decedentes cum solo originali, nullam delectationem experti sunt neque in deordinata conversione ad creaturam, neque in actu peccati; Ergo etc. (*a*).

Caput IV.

De Judicio universali.

§. 258. Nomine Judicii universalis hic venit actus ille legitimus supremi dominii, et auctoritatis, quem publice, sollemniter in potestate magna et majestate, in fine sæculorum Christus Dominus, etiam qua filius hominis est, exercebit, quo vocatis omnibus omnino hominibus coram se, et singulorum meritis, vel peccatis perpensis, sententiam æternæ vitæ in justorum favorem, et aeternæ mortis in impios proferet. Brevius ex subtili Doctore: *Judicium est completa, et authen-*

(a) Henno *Tom. I. Tract. I. Disp. 3. q. 5. Concl. I. et seq.*

thentica determinatio reddendi alicui secundum merita (a).

§. 259. Quoniam vero multa terribilia præcedent, comitabuntur, et sequentur hoc Judicium, dies propterea quo fiet, variis nominibus, hisque terrificis vocatur; *Nempe dies Domini* (b): *Dies furoris Domini* (c): *Dies mala* (d): *Dies tribulationis, et vindictæ* (e): *Dies tenebrarum, et caliginis; Dies Nubis, et turbinis, magnus Dies Domini* (f): *Dies iræ* (g); *Dies magna et amara valde* (h).

§. 260. Hanc porro diem aliquando venturam, licet Dogma Catholicorum sit, non defuerunt tamen Hæretici, nec modo desunt, qui eam negent, et parum esset si non riderent, tamquam inventum, et terriculamentum Presbyterorum. Veteres Pharisæi, Sadducæi, et Samaritani negarunt carnis resurrectionem, atque Judicium extremum sustulerunt. I-

(a) *In IV. Dist.* 47. *q.* I.
(b) *I. Corinth. I. v.* 8. *Abdiæ* 15.
(c) Job *Cap. XX. v.* 28. Sophon. *Cap. II. v.* 3.
(d) *Psal.* 49. *v.* 2. *et* 48. *v.* 6. *Ephes. VI. v.*13.
(e) Ecclesiast. *Cap. II. v.* 13. *et V. v.* 10.
(f) Joel *Cap. II. v.* 2.
(g) *Roman. II. v.* 5.
(h) *Ecclesia in Off. Def.*

dipsum praestarunt Basilidiani, Valentiniani, Gnostici etc. (*a*); necnon Calvinus, Theodorus Beza, et cum ipsis quotquot Sacrarum Scripturarum auctoritatem non reverentur.

PROPOSITIO I.

Christus Dominus in forma humana, sed in majestate magna, et potestati, iterum venturus est in Mundum judicare vivos et mortuos; sed incertum est quando veniet;

§. 261. PRobatur prima pars. Nam in Ecclesiastico (*b*) habetur: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sit, sive malum*. Item Isajas ait (*c*): *Ecce dies Domini veniet crudelis, et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendam terram in solitudine, et peccatores ejus conterendos*. Similiter apud

(a) *Vid. Gener. Tomo IV. Theol. Dogm. Schol, P. 2. Tract. 3. Lib. 3. Cap. I. n. 281. et seq.*
(b) *Cap. XII.*
(c) *Cap. XIII.*

pud Johelem Prophetam legitur (a): *Magnus dies Domini, et terribilis valde, et quis sustinebit illum* ? Et ut taceam alios Prophetas, Christus ipse Dominus veritatem hanc pluribus in locis docet, sed praesertim apud S. Matthaeum (b). Postquam enim imaginem peculiaris Judicii dederat dicens: *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium*, subjungit: *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, et congregabuntur ante eum omnes gentes . . . . . et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet rex his qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi etc. ... Tunc dicet et his qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum etc.*

§. 262. Probatur 2. pars. Loquens Christus de die secundi Adventus sui, ait (c): *de die illa, et hora, nemo scit,*

 ne-

(a) *Cap. II.*
(b) *Cap.* XXV. *v.* 31.
(c) *Matth. Cap.* XXIV. *v.* 36.

neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater; et dum erat ascensurus in Cœlum, interrogatus a discipulis, num in tempore illo restitueret regnum Israel, respondit eis (a): *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*. Ergo etc.

Objic. 1. Apud Joannem habetur (b): *Qui credit in eum* (Christum), *non judicatur: qui autem non credit jam judicatus est*; Si ergo ex hominibus alii quia boni non judicantur, alii quia mali jam judicati sunt, procul dubio nullum erit futurum universale Judicium; Adeoque etc.

§. 263. ℟. disting. sensum auct. Qui credit in eum non judicatur judicio discussionis, et condemnationis, conc., non judicatur judicio retributionis, nego; et pariter dist. alteram partem auctorit. Qui non credit jam judicatus est judicio discussionis, conc., judicio finalis damnationis, n.; Ergo etc., nego consm. Tria ad Judicium concurrunt: prima, ut quis coram Judice se sistat; secunda, ut ejus merita discutiantur; et tertia, ut sententiam recipiat: Quoad primam, omnes nul-

(a) *Actor. I. v.* 7.
(b) *Cap. III. a.* 18.

nullo excepto, stabimus ante Tribunal Christi in die extremo; quoad secundam fideles justi non judicabuntur, et infideles jam judicati sunt, quia cum isti manifeste agnoscantur Christi non esse, illi e contra veri Christi imitatores, et servi fideles, nullum judicium discussionis de eis fieri opus erit. Tum isti tamen, cum illi sententiam recipient, infideles nempe, et peccatores æternæ damnationis, fideles vero, et justi æternæ beatitudinis; propterea dicitur: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (a).

Contra. Atqui nec etiam judicium condemnationis infedeles, nec judicium retributionis credentes in Christum patientur; Ergo n. r. Prob. subsm. In morte, quilibet homo judicatur, et statim præmium recipit, vel supplicium; Atqui *non judicabit Deus bis in idipsum*; legitur enim (*b*): *non consurget duplex tribulatio*; Ergo etc.

§. 264. ℟. dist. maj. In morte etc. complete, et publice n., incomplete, et privatim, conc. Atqui etc., eodem modo, et eodem respectu, conc., diverso, nego

 min.,

(a) *Matth. Cap. XXV. v.*
(b) Nahum *I.*

min., et consm. In morte utique quilibet homo judicatur, et vel præmium pro bene gestis, vel supplicium pro peccatis recipit; at non complete, quippe anima solum est illa quæ præmio afficitur, vel supplicio, et hoc notum est illi tantum, cui evenit. Quia ergo anima in corpore vel peccavit, vel bona opera fecit, et corpore tamquam istrumento usa est in suis operationibus sive bonis, sive malis, simul etiam cum corpore, cui denuo copulabitur, præmium, vel supplicium publice recipere debet. Neque propter hoc dici potest Deum bis judicare in idipsum; nam diverso respectu judicat in finali judicio; judicat nempe hominem complete in anima, et corpore, idque cum sollemnitate, et publice, quod in judicio privato non fecit.

Contra. Atqui nullo modo aliud fiet Judicium ab eo, quod in morte fit uniuscujusque; Ergo n. r. Prob. subsm. In Ecclesiaste habetur (a): *ubi ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit*; Ergo etc.

§. 265. ℟. Adductum testimonium nihil aliud probat, quam hoc, nempe post hanc vitam non esse amplius locum a-

mit-

(a) *Cap. II. v. 4.*

mittendi, vel recuperandi Dei amicitiam, sed si homo decesserit ad Austrum, idest in Divina amicitia, ibi perpetuo manebit: si ad Aquilonem, idest in Dei ira, et inimicitia, ibi perpetuo erit (*a*), absque ulla spe misericordiæ, et salutis; non autem quod nullum amplius Judicium fiet. Nam in universali Judicio non immutatur sententia in morte lata, sed completur, et publica fit. Unde et dicitur, quod oves, nempe justos, qui jam æterna beatitudine fruebantur statuet a dextris, et hædos, hoc est peccatores, et qui jam positi erant in Inferno, statuet a sinistris. Ad Austrum namque cecidit lignum? ibi manebit, et gloriosior erit in die Judicii; cecidit ad Aquilonem? ibi manebit, et mirabiliter tormentis auctum ad præsentiam supremi Judicis erit (*b*).

(a) *Vide* Cornelium a Lapide *in hunc locum*.

(b) *Legantur* Aloysius Lipomano *in Libro Italice scripto, cui titulus*: Confirmazione, e stabilimento di tutti i dogmi Cattolici etc. De Busto *Tomo I. Rosarii Serm. 9. p. 1.* Siuri *Tract. IX. Cap. I. Mastrius Disp.* XXVIII. *q. 1. art. 1.*

PROPOSITIO II.

Signa peculiaria proxima futuri Judicii universalis hæc sunt; 1. Evangelii prædicatio, et promulgatio per totum Orbem; 2. Discessio a Romano Imperio, et a fide; 3. Antichristi adventus; 4. Eliæ, et Henoch prædicatio; 5. Portenta in Cœlo, in elementis, in terra, et in hominibus; et 6. Ignis conflagrationis.

§. 266. PRob. Nam quoad primum. Cum Apostoli Christum interrogassent *dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi?* Post aliqua documenta, ne circa tempus Judicii deciperentur, respondit Jesus (*a*): *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio*. Prædicabitur nempe Evangelium, ajunt Patres (*b*), non obiter tantum, et clam ut tempore Apostolorum contigit, sed publice ac solemniter, permittentibus, imo

(a) *Matth. Cap.* XXVIII. *v.* 14.
(b) *Apud* Tirinum, *aliosque Exposit.* ...

imo amplexantibus illud omnibus Regibus, et Regnis terræ.

Quoad secundum, et tertium. Apostolus ad Thessalonicenses scribens, ait (*a*): *Rogamus vos fratres . . . ut non cito moveamini . . neque terreamini . . . . quasi instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo modo: quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.* Discessio non solum a Romano Imperio temporali, sed a spirituali, scilicet a fide Catholica Romanæ Ecclesiæ, ait D. Thomas (*b*), quia non solum populi rebbelles erunt temporali Domino Romani Imperii, unde et istud destruetur, sed a fide discedent adeo ut dixerit Christus Dominus (*c*): *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Revelatus fuerit homo peccati etc.; hoc est Antichristus: *Qui adversatur, et extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; itaut in Templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus etc.* Ergo etc.

Quoad quartum. Apud Malachiam Prophe-

(a) *Epist. II. Cap. II. v.* 1. *et seq.*
(b) *In hunc locum.*
(c) *Luca* XVIII. *v.* 8.

phetam (*a*) ait Deus de Elia : *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis. Et convertet cor Patrum ad filios, et cor filiorum ad Patres eorum, ne forte veniam, et percutiam terram anathemate*. De Henoch vero habetur in Ecclesiastico (*b*) : *Henoch placuit Deo, et translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. De ambobus autem legitur in Apocalypsi (*c*): *Et dabo duobus testibus meis et prophetabunt . . . amicti saccis*. In quibus duobus Prophetis, Patres et Interpretes Henochum et Eliam agnoverunt, ait Calmet (*d*); quos revera fatemur in Mundi exitu ante Judicium supremum venturos, ut fideles ab Antichristo vexandos tueantur, et regant.

Quoad quintum. Ait Christus apud S. Matthæum (*e*) : *Statim autem post tribulationem dierum illorum* (persecutionis nempe, crudelitatis, et scelerum An-

(a) *Cap. IV. v.* 5.
(b) *Cap.* XLIV. *v.* 16.
(c) *Cap. XI. v.* 3.
(d) *In hunc loc.*
(e) *Cap.* XXIV. *v.* 29.

Antichristi), *sol obscurabitur*, *et Luna non dabit lumen suum*, *et stellæ cadent de Cœlo*, *et virtutes Cœlorum commovebuntur*; *et tunc parebit signum Filii hominis in Cœlo*.

Quoad sextum tandem. Psalmista hanc testatur veritatem dicens (*a*): *Ignis ante ipsum præcedet*, *et inflammabit in circuitu inimicos ejus*; quam Paulus ad Thessalonicenses confirmat, dicens (*b*), venturum Dominum Jesum *de Cœlo cum Angelis virtutis ejus*, *in flamma ignis dantem vindictam iis*, *qui non noverunt Deum*, *et qui non obediunt Evangelio*. Ergo etc. (*c*).

PRO-

(a) *Psal.* 96.
(b) *Epist. II Cap. I. v.* 7. 8.
(c) *Legant.* Siuri. *et Mastrius*, *ut supra etc.*

Omnes omnino homines cujuscumque ætatis, ordinis, et conditionis ad Judicium vocandi erunt.

§. 267. PRobatur 1. ex Scripturis. Apud S. Matthæum habetur (*a*): *Et congregabuntur ante eum omnes gentes . . . et statuet oves quidem a dextris suis; hædos autem a sinistris etc.* Apostolus ad Romanus scribens, ait (*b*) : *Omnes stabimus ante Tribunal Christi . . . unusquisque nostrum rationem reddet Deo*; Et ad Corinthios (*c*): *Omnes enim nos*, ait, *manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum sive malum*. Ergo etc.

Dices. Ex his posterioribus verbis D. Pauli ad Corinthios videtur, parvulos abortivos, vel natos, sed absque baptismo mortuos, omnino excludi a Judicio; nam isti non habent propria corporis, quæ referant; Adeoque etc.

§. 268.

(a) *Cap. XXV.*
(b) *Roman. XIV. v.* 10.
(c) *Epist. II. Cap.* 5.

§. 268. ℟. Cum peccatum originale sufficiat ad excludendum pueros a Paradiso, et puniendum pœna damni (§.256.), judicium propterea sive discussionis, sive condemnationis sustinere debent; Itaque si non habent propria opera quæ referant, habent tamen quod corporis referant, peccatum nempe originale; unde non judicabuntur, ait Glossa (*a*), pro his, quæ ipsi gesserunt per se, sed de his quæ gesserunt per alios, dum per eos crediderunt, vel non crediderunt, baptizati, vel non baptizati fuerunt. Quare ante Tribunal Christi eos stantes vidit S. Joannes in Apocalypsi (*b*): *Vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu Throni*.

PRO-

(a) *Apud* S. Thomam *Comment. in hunc locum.*
(b) Apocalyp. XX.

PROPOSITIO IV.

Mortuorum Resurrectio est possibilis, et aliquando futura.

§. 269. PRobatur. Ad mortuorum resurrectionem nihil aliud requiritur quam, ut illa materia quæ alicujus hominis est recolligatur, uniatur, et in eamdem membrorum formam compingatur, quam aliquando habebat, deinde anima ei iterum uniatur; Atqui hoc, inspecta divina potentia, nullam dicit contradictionem; Ergo etc. Probatur min. Qui potest plus, potest et minus; Atqui Deus fecit plus; nempe hominem creavit ex nihilo; Ergo potest facere quod est minus, hominem nempe resuscitare. Praeclare ad rem ait Isidorus Pelusiota (*a*): *Cum Deus ex nihilo ea, quæ vult, in ortum producere queat: multo magis ea, quæ jam corpore orta sunt atque in terram redierunt, innovare poterit.*

§. 270. Probatur 2. pars. Job (*b*) ita loquitur: *Scio quod Redemptor meus vivit et in novissimo die de terra sur-*

re-

(a) *Lib. I. Epist.* 284.
(b) *Cap. XIX. v.* 25.

recturus sum, *et rursum circumdabor pelle mea*, *et in carne mea videbo Deum etc.* Apud Danielem (*a*) habetur: *Qui dormiunt in terræ pulvere*, *evigilabunt*: *alii in vitam æternam*, *et alii in opprobrium.* Apud Joannem (*b*) ait Christus: *Qui in monumentis sunt audient vocem filii Dei*, *et procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ*: *qui vero mala egerunt in resurrectionem judicii*; Ergo etc.

Dices. Videtur omnino impossibilis resurrectio hominum; Nam multa corpora cremata fuerunt, et cineres per aera dispersi, vel in mare projecti; non pauca a færis, piscibus, muribus, aliisque animalibus vorata, et in ipsorum substantiam, et corpora transierunt; quomodo ergo fieri potest ut idem corpus resurgat?

§. 271. ℟. Si humana facultas, et potentia inspicitur; vel si Dei potentia ideis nostris commensurari deberet, impossibilis videtur resurrectio. Sed »absit, *ait S. Augustinus* (*c*) » ut ad resuscitanda corpora, vitæque reddenda, non

 » pos-

(a) *Cap. II. v. 2.*
(b) *Cap. V. v. 28.*
(c) *Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. 20. per totum.*

» possit omnipotentia Creatoris omnia re-
» vocare, quæ vel bestia, vel ignis: vel
» in cinerem pulveremque collapsum, vel
» in humorem solutum, vel in auras est
» exhalatum. Absit ut sinus ullus, se-
» cretumque naturæ ita recipiat aliquid
» subtractum sensibus nostris, ut o-
» mnium Creatoris aut lateat cognitionem,
» aut effugiat potestatem . . . . Reddetur
» ergo caro illa homini, in quo esse ca-
» ro humana primitus cepit ». (*a*).

PROPOSITIO V.

Omnes omnino homines, tam boni quam mali, cujuscumque ætatis resurrecturi sunt.

§. 272. PRobatur. Nam ait Apostolus ad Corinthios (*b*): *Omnes quidem resurgemus*; et sicut per Adæ peccatum omnes moriuntur (§. 228.), ita per Christum omnes resurgent, et vivificabuntur. Deinde omnes stabunt ante Tribunal Christi, nemine excepto, sive boni

(a) *Vide plura apud* Coccium *Tomo II. Lib. X. n.* 400. *et seq.* 410. 430. 440.
(b) *Epist. I. Cap. XI. v.* 51.

ni sive mali; sive magni, sive parvuli (§. 267.); Atqui in anima et corpore omnes stabunt ante Tribunal Christi, quia in corporibus perficiuntur ea quæ sunt justitiæ Dei (§. 264.), et completam unusquisque accipiet retributionem. Ergo etc.

Dices. Impiis et peccatoribus in Scripturis denegatur resurrectio; ait namque Psalmista (a): *Non resurgent impii in judicio etc.*

§. 273. ℟. dist. ans. Impiis etc. denegatur resurrectio ad vitam, quæ propria est justorum, conc. ans.; denegatur resurrectio carnis, n. ans. Duplex est resurrectio, una ad vitam, alia ad judicium, sive ad mortem. Prima est justorum, de quibus dicitur (b): *stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt etc.*; Secunda est impiorum, de quibus ibidem habetur, *quod erunt gementes, et memoria illorum peribit* etc. Per resurrectionem ad vitam justi rapientur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt; per resurrectionem ad judicium, et ad mortem, impii erunt in ima valle sine honore, perterriti, et

(a) *Psalmo I. v. 6.*
(b) Sapientiæ *Cap. IV. et V.*

in contumelia inter mortuos in perpetuum, a facie Dei, et a consortio Angelorum, et Sanctorum projecti. Uno verbo: non resurgent impii in Judicio ad gloriam, et aeternam vitam; bene vero, ut simul anima et corpore aeterna morte puniantur (*a*).

Caput V.

De Paradiso, seu de statu Justorum in altera vita.

§. 274. Paradisi nomine hic intelligitur locus in Cœlo omnimodae, atque ineffabilis amoenitatis, ubi Deus justis praemia meritorum aeterna beatitudine rependit.

§. 275. Locus iste variis nominibus in Sacris litteris designatur. Dicitur namque *Cœlum Cœli* (*b*): *Terra viventium* (*c*): *Regnum Cœlorum* (*d*), *et Re-*

(a) *Videantur* Titelmannus, Tirinus, *et* Incognitus *in hunc locum*.

(b) *Psal. 67. v.* 34.

(c) *Psal.* 141. *v.* 6.

(d) *Matth. Cap. III. v.* 2.

Regnum Dei (a): *Domus Æterni Patris* (b): *Vita æterna* (c): *Hierusalem Cœlestis et Ecclesia primitivorum* (d).

§. 276. Porro locum hunc non extare, praeter illos qui omnem hominis felicitatem in praesenti vita constituentes, nihil, ne quidem animam post mortem superesse putabant, Michael Balbus Amoraeus, Barbara Sigismundi Imperatoris Conjux, et Georgius David effutierunt; unde veluti vanam, doctrinam de bonis aeternis respuebant. Fuerunt alii qui aut dicebant Christi regnum non esse in Coelis, sed in terra; aut per mille annos esse in terra, et postea in Coelis. Sed omnes qui recta ratione utuntur, Paradisum recognoscunt, licet non pauci errent in illius felicitate explicanda. Nec mirum. Nam admodum difficile est humanae menti, superbae illius Civitatis, et aeternæ vitae qualia, et quanta sint bona, et gaudia percipere. Unde Augustinus (e): *facilius*, ait, *possumus dicere in illa vita æterna quid ibi non sit, quam*

 quid

(a) *Marci X. v.* 23. *etc.*
(b) *Joan. XIV. v.* 2.
(c) *Matth. XIX. v.* 29.
(d) *Hebraer. XII. v.* 22.
(e) *Lib. III. de Symb. ad Catechum. cap.* 12.

quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, non est ibi laxitudo, non est infirmitas, non est fames: nulla sitis, nullus aestus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla mæstitia, nulla tristitia. Ecce diximus quid ibi non sit. Quid autem ibi sit vultis nosse? » Haec nec » oculus vidit, nec auris audivit, nec » in cor hominis ascendit, quae praepa» ravit Deus diligentibus se » (*a*). Sit tamen.

PROPOSITIO I.

Dotes corporis gloriosi sunt quatuor; nempe 1. Impassibilitas: 2. Claritas; 3. Agilitas; *et* 4. Subtilitas.

§. 277. PRobatur quoad singulas dotes. Et primo: corpus gloriosum erit *impassibile*. Nam in Apocalypsi (*b*) loquens Joannes de Beatis, ait: *Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, aut ullus æstus;* Et alibi (*c*): *Absterget Deus omnem la-*

(a) *I. Corinth. Cap.* 2.
(b) *Cap. VII. v.* 16.
(c) *Apoc. Cap. XXI. v.* 4.

lacrymam ab oculis eorum ; *et mors ultra non erit* , *neque luctus* , *neque clamor* , *neque dolor erit ultra* .

Secundo: corpus gloriosum erit *clarum*, splendens scilicet luminosissima claritate. Nam in Libro Sapientiæ legitur (a): *Fulgebunt justi*, *et tamquam scintillæ in arundineto discurrent* ; Et apud Matthæum (b) ait Christus Dominus : *Justi fulgebunt in regno Patris eorum* .

Tertio: corpus gloriosum erit *agile* ; expers nempe oneris, quo nunc præmitur, atque gravatur, pro libito, ubicumque voluerit celerrime, et absque vel minima difficultate se movere poterit ; Nam ait Apostolus (c): *seminatur in infirmitate*, *surget in virtute* : » Qua scilicet » fiet ut tanta virtute, *ait S. Thomas* (d): » ab anima moveri possit , ut in nullo » difficultatem ad motum exhibeat, quod » ad vocem agilitatis pertinet . Tanta e» nim erit ibi facilitas , quanta felici» tas » .

Quarto: corpus gloriosum erit *subtile*, scilicet adeo animæ imperio subjectum , ei-

(a) *Cap. III.*
(b) *Cap. XIII v.* 43.
(c) *Corinth. XV. v.* 43.
(d) *Comment. in hunc locum* .

eique ad nutum obediens, ut licet vera carne constet, videatur spirituale: Nam ait idem Apostolus (a): *Seminatur corpus animale surget spirituale*; Ergo etc.

§. 278. Probatur 2. D. Paulus ad Philippenses scribens ait (b), quod Christus *reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae*. Sicut ergo fuit corpus Christi gloriosum post resurrectionem ita erit et corpus nostrum; Sed Corpus Christi fuit 1. *Impassibile*, et immortale juxta illud (c): *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors ei ultra non dominabitur*; 2. fuit mira *claritate* resplendens, ut ait Apostolus loco citato; 3. fuit *agile*, de uno namque in alium locum facillime pertransibat (d); et 4. tandem fuit *subtile*, ita ut januis clausis ingressus sit Cœnaculum (e): Ergo etc.

PRO-

(a) *I. Corinth. XV. v.* 43.
(b) *Cap. III. v.* 21.
(c) *Roman. VI. v.* 9.
(d) *Joan. Cap. ult.*
(e) *Ibid. Cap. XX. Videant*. D. Thomas *in suppl. quæst.* 82. 83. 84. S. Bonaventura *Lib. IV. Dist.* 49. *n.* 37.

PROPOSITIO II.

In Paradiso Animæ beatitudo est clare videre Deum, perfecte illum amare, illoque frui.

§. 279. PRobatur. Nam ait Psalmista (*a*): *Videbitur Deus deorum in Sion*. Unde cupiens illic esse, ajebat (*b*): *Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei*; nec non exultans præ gaudio promissæ felicitatis æternæ: *satiabor*, repetebat Deo (*c*), *satiabor cum apparuerit gloria tua; quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*. Joannes pariter inquit (*d*): *Videbimus eum sicuti est*; et Paulus tandem ad Corinthios scribens ait (*e*): *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quare S. Augustinus de illa suprema beatitudine loquens (*f*), scribit: *Summa hæc est*

(a) *Psal.* 83.
(b) *Psal.* 41. *v.* 3.
(c) *Psal.* 16. *v.* 15.
(d) *Cap. I. v.* 3.
(e) *Epist. I. Cap. XIII.* 2. 12.
(f) *Lib. I. de Doct. Christ. Cap.* 30.

est merces, *ut fruamur Deo*. Et alio (*a*): *Ibi* (nempe in Paradiso) *vacabimus*, *et videbimus*, *videbimus*, *et amabimus*, *amabimus*, *et laudabimus*, *ecce quod erit in fine*, *sine fine*. Et S. Bernardus (*b*): *Sicut*, inquit, *in hac vita initiat Fides*, *et desiderium*, *ita in alia consummat visio*, *et amor*. Ergo etc. (*c*).

Caput VI.

De Inferno.

§. 280. INferni nomine intelligitur locus infra terram a Deo destinatus excipiendis animabus hominum, quæ cœlesti beatitudine frui, aut ad tempus, aut in perpetuum non merentur.

§. 281. Locus autem iste quadruplex est; 1. nempe Limbus Veterum SS. Patrum; 2. Limbus puerorum; 3. Purgatorium; et 4. Infernus proprie dictus. Limbus SS. Patrum locus est, ubi animæ pio-

(a) *Lib. XXII. de Civit. Dei Cap. ult.*
(b) *Epist.* 28.
(c) *Legant.* S.Thomas *in suppl. quæst.* 95. *art.*5. Mastrius *Disput.* XXV. *de Cœlo*, *et statu beatif.*

piorum, qui decesserunt ante Christi adventum detinebantur, orbatæ quidem Dei visione, at nulla sensibili pœna afflictæ, imo gaudio, et quadam felicitate, et pace donatæ, expectantes beatam spem; et adventum Messiæ, qui jannas Regni Cœlestis aperiret; Unde hic locus a Christi resurrectione vacuus relictus est. Limbus puerorum est locus, ubi animæ puerorum cum originali peccato decedentium detruduntur, nulla sensibili poena afflictæ, sed Dei visione in perpetuum carentes. Locus iste, an post finale judicium existat, disputatur inter Doctores. Purgatorium est locus in quo animæ justorum nondum perfecte purgatæ, et æterna beatitudine dignæ detinentur usque dum Deo perfecte satisfecerint, et purificatæ fuerint. Infernus tandem proprie dictus est locus, in quo omni tormentorum genere, animae impiorum a Dei facie projectae, absque ulla spe aliquando exeundi, detruduntur, in æternum puniendae.

§. 282. Porro Infernus hic proprie dictus, variis, hisque terrificis nominibus, ut poenarum, queis abbundat, acerbitas quodammodo exprimatur, vocari solet.

let. *Infernus nempe inferior* (*a*) a Psalmista: *Gehenna ignis* a Jesu Christo (*b*), *et tenebrœ exteriores* (*c*): *Stagnum ignis, et sulphuris* a S. Joanne (*d*) : *Locus tormentorum* apud S. Lucam (*e*): *Tartarus* a S. Petro (*f*) , et *Avernus* ab Ecclesia (*g*) . Quis Infernum non horrebit?

§. 283. At Infernum hunc non extare, sed esse vel purum antiquorum Poetarum effictum, vel Praesbyterorum commentum, nedum antiqui Philosophi, Pithagoras nempe, Epicurus, Lucianus et alii dixerunt (*h*); sed et Gnostici, atque Albigenses; imo multi etiam nostris hisce temporibus, nedum Infernum rident, sed

---

(a) *Psal.* 48. *v.* 16.
(b) *Matth. Cap. V. v.* 22. *et passim.*
(c) *Matth. Cap. VIII. v.* 12.
(d) *Apocalyp. Cap.* XIX. *v.* 20.
(e) *Cap.* XVI. *v.* 48.
(f) *Epist. II. Cap.* 2. *v.* 4.
(g) *In Hymno I. Brev. Rom.*
(h) *Unde, et apud Ovidium* 15. *Metamorph. Legitur*

Quid styga, quid Cocytum, quid nomina vana times,
Materiem vatum, falsique pericula Mundi?

Et apud Lucretium Lib. 3. *de Natura*:

Cerberus, et Furiæ; jam vero et lucis egenus
Tartarus horrificos eructans faucibus æstus;
Hæc neque sunt usquam, nec possunt esse profecto.

sed et omnem quoque Inferni ideam abolere conantur (*a*). Sed quam immerito ex modo sequentibus constabit.

PROPOSITIO I.

Datur revera Infernus damnatorum.

§. 284. PRobatur 1. ex Scripturis. In Libro Numeri describens Moyses Dathan, Corae, et Abiron supplicium, ait (*a*), quod *descenderunt vivi in infernum operti humo*. Apud Isajam (*b*) legitur: *Dilatavit infernus animam suam, et aperuit os suum absque ullo termino: et descendent fortes ejus etc.* In Evangelio pluribus in locis Christus dominus de Inferno mentionem facit. Apud S. Matthaeum (*c*) ait: *potius timete*

(a) *Quod namque quondam Genevae adolescentulis quidem occinisse scribit Petrus Viretus Lib. VI. de ministerio Verbi, hodie frequens est in juvenum multorum ore. Nempe*

. . . . . . hunc esse beatum
Quique metus omnes, et inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acheronsis avari.

(b) *Cap.* XVI. *v.* 31.
(c) *Cap. V. v.* 14.
(d) *Cap. X. v.* 28.

te eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam; apud S. Lucam (*a*): *Mortuus est dives, et sepultus est in Inferno*; et de supplicio finali reproborum loquens, ait (*b*): *Ibunt hi in supplicium æternum etc.* Tandem, ut alios taceam, ait S. Petrus (*c*): *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus Inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Ergo etc.

§. 288. Probatur 2. ratione Theologica in Scripturis fundata. Deus est justus, et justitiam diligit. Bonos ergo atque diligentes se praemio afficit, peccatores vero, atque iniquos poena atque supplicio; unde frequens est in Scripturis: Dominum benedicere justo (*d*): Justos laetari in Domino (*e*); ut palma florere (*f*); ipsorum animas esse in manu Dei (*g*), etc. Peccatores autem, atque injustos Deum disperdere (*h*), atque reproba-
re

(a) *Cap XVI. v. 22.*
(b) *Matth. Cap. XXV. v. 46.*
(c) *Epist. II. Cap. 2. v. 4.*
(d) *Psal. V. v. 13.*
(e) *Psal. 63. v. 11.*
(f) *Psal. 91. v. 13.*
(g) *Sapien. III. v. 1.*
(h) *Psal. 144. v. 20.*

re (*a*): eorum cervices concidere (*b*): eos odio habere (*c*): eisque reddere vindictam (*d*), etc.; Atqui plerumque in hoc Mundo cernimus justos et bonos malis affligi, atque persecutionibus agitari, impios vero atque peccatores, divitiis affluere, laetosque dies agere; Ergo dicendum, alteram vitam esse, in qua sicuti pro justis paratum est Regnum, et aetaerna felicitas cum Deo; ita pro peccatoribus paratus est Infernus, in quo aeterne cruciabuntur. Ita sane; unde de impiis dicebat Job (*e*): *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt*.

Argumenta opposita solvuntur.

Objic. Inferni existentia est purum inventum ad vitia coercenda a Platonis doctrina, et Poetarum figmentis ortum; Ergo admittenda non est.

§. 286. ℟. Nihil ineptius dici poterat quam quod in argumento asseritur. Quid namque opus erat ex Poetarum fabellis Inferni ideam compingere, ut homines a vi-

(a) *Psal.* 118.
(b) *Psal.* 128. 2. 4.
(c) *Ecclesiast.* XII. 2. 3.
(d) *Ibid.* v 4.
(e) *Cap.* XXI. v. 13.

vitiis cohiberentur ? Adeone stulti , et bardi fuerunt homines ut sibi persuaderent, absque ullo fundamento Infernum existere, a vitiis proinde abstinendum esse? Nonne et poenæ apud omnes populos fuerunt , formidine quarum oderunt peccare mali? Quod si praesentium poenarum terroribus a malo vix impii coerceantur, multo minus vanis Inferni fictionibus id fuisset obtentum . Deinde falsum omnino est ex Platonis doctrina , et Poetarum figmentis ortum fuisse inventum, ut ajunt adversarii, de existentia Inferni. Nam ante Platonem, aliosque Poetas, fere annos mille biscentum floruit Moyses, floruit Job, qui de Inferno , loco vindictae, et punitionis , testimonium faciunt (§. 284.) . Quare dicendum potius cum Clemente Alexandrino (*a*) , quod *Supplicia post mortem* , *et pœnas*, *quæ igne luuntur* , *a Prophetis barbara Philosophia* , *et universa Musa poetica* , *et Græca surripuit Philophia* ; non vero quod Catholici ex Platonis doctrina, et Poetarum fabulis ideam Inferni mutuati fuerint .

Contra . Atqui existentia Inferni non est nisi purum figmentum a Platone et a Poe-

(a) *Lib. V. Stromaton.*

Poetis mutuatum ; Ergo n. r. Prob. subsm. Infernus qualis asseritur , omnino repugnat tum ex parte Dei , qui est misericors , et pius ; cum ex parte hominis , qui cum sit pronus ad malum , misericordia dignus est ; nam novit dominus figmentum nostrum , et recordatur quoniam pulvis sumus ; tum tandem ex parte offensæ , quæ cum finita sit , pœnam æternam non meretur ; Ergo etc.

§. 287. ℞. Nullo pacto , ex adductis in argumento , repugnat Infernus , qualis asseritur (§. 281.) . Non enim repugnat ex parte Dei . Nam Deus est quidem summe misericors cum homine , sed est etiam summe justus : *Sicut* ergo , ait S. Bonaventura (*a*), *summe misericordis est summe misereri , et misericordiam suam summe manifestare per effectum : sic et summe justi est summe punire , et suam justitiam manifestare per effectum* . Non repugnat ex parte hominis . Nam etsi homo sit fragilis , et pronus ad peccandum , habet tamen media , et auxilia quibus aut a peccatis præcavere, aut ab eis resurgere potest . In vita propterea ipse misericordia Dei undique circumdatus dici potest ; at si abutens mi-

(a) *Lib. IV. Disp. 44. q. I.*

sericordia Dei impœnitens moritur, incidit in Dei justitiam, qua reddetur ei pro mensura delicti plagarum modus. Nec tandem repugnat ex parte offensæ. Nam licet offensa in se inspecta, et prout est cogitatio, actio aliqua, vel omissio sit finita; considerata tamen ut offensa est Dei boni infiniti, poenam meretur infinitam; Et licet, » ait praefatus Seraphicus Doctor (*a*), » delectatio illa transiens sit momentanea, » quia tamen deordinatio tenet rationem » perpetuitatis, poena deordinationi re- » spondens debet habere carentiam finis, » ut sicut homo in suo perpetuo finem » non apposuit a peccato recedendo, sic » Deus in suo perpetuo non desistat a » puniendo, et sicut homo contra infi- » nitum peccavit, sic poenam habeat in- » finitam. Et quia non potest habere » poenam infinitam intensive, habeat sal- » tem duratione ».

Contra. Atqui Deus esto sit justus, adhuc tamen repugnat quod existat Infernus: Ergo n. r. Prob. subsm. Esto Deus sit justus, est tamen adeo dives in misericordia, ut numquam misereri obliviscatur

(a) *In Breviloq Parte VII. Cap.6. per totum. Legatur* Boucat *Tom.II. Theolog. Patrum Dissert.IV. art.4.*

tur (*a*) ; et ejus misericordia, nedum est super omnia opera ejus, sed superexaltat judicium ipsum (*b*), et ita quidem ut circumstet justitiam: Quare David de misericordia, et de justitia Dei loquens, ponit misericordiam ante, et post justitiam ; ait siquidem *misericors Dominus, et justus* (*c*), *et Deus noster miseretur*. Ergo non patietur aliquem apud inferos tam sæve, et in perpetuum torqueri. Adeoq. etc.

§.288. ℟. Laudata in argumento, et alia hujusmodi verissima sunt si de Deo loquamur hominem inspiciente in hac vita præsenti. Revera enim quantumlibet homo peccet in hac vita ; esto ejus peccata multiplicata fuerint super numerum arenæ maris ; dignus propterea qui divinam ultionem mereatur, et a facie Dei projiciatur, Deus tamen propter misericordiam non obliviscitur illius, imo dat ei media, et auxilia, quibus a peccatis eum avertat, et ad se convertat; adeo ur non sit mater, quæ sic consoletur de reditu filii sui domum, eumque complectatur, quemadmodum Deus paratus est excipere

 poe-

(a) *Psal. 76. v.* 10.
(b) Jacobi *Cap. II. v.* 13.
(c) *Psal.* 114. *v.* 5.

poenitentem, quacunque hora se converterit. At peracto vitæ hujus termino: *si ceciderit lignum ad austrum, sive ad aquilonem, ibi erit* (*a*); adeoque sicut homo non est amplius in statu merendi, neque amplius vult se ad Deum convertere; ita etiam extra omnem spem divinæ misericordiæ est; *Mortuo enim homine impio*, ait Salomon in Proverbiis (*b*), *nulla erit ultra spes, et expectatio solicitorum peribit*. Cœterum, etiam in Inferno, dicere possumus, Deum exercere quodammodo suam misericordiam, non quidem reprobos liberando, vel poenas assignatas minuendo, sed *citra condignum* eos puniendo, uti docent Theologi (*c*).

PRO-

(a) Ecclesiast. *Cap. XI. v.* 3.
(b) *Cap. XI. v.* 7.
(c) *Legatur* Mastrius *Disput. XXVI. quæst. III. art.* 2.

Propositio II.

Christus Dominus statim ac in Cruce emisit spiritum, vere et realiter descendit ad Inferos; ad Limbum nempe SS. Patrum (*a*).

§. 289. Probatur. Christus ad Inferos descendit, ut eos liberaret quos vinctos illi detinebant, juxta illud Osee (*b*): *ero mors tua, o mors: morsus tuus ero inferne*; necnon Zachariæ Prophetæ, qui Salvatorem promissum alloquens, ait (*c*): *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua*. Atqui in Inferno damnatorum nulla est redemptio; nec ullus qui eo perductus est, potest a poenis liberari; Ergo Christus non ad Infernum damnatorum, sed ad Limbum SS. Patrum descendit (*d*).

(a) *Contenson T. II. lib. X. Dissert. 3. Cap. I. Speculat. 3.*
(b) *Cap. XIII. 2. 14.*
(c) *Cap. IX. v. 11.*
(d) *Legat. Bibliot. Theolog. Tom. V. pag. 773.*

P R O P O S I T I O III.

Ignis Inferni est verus ac realis.

§. 290. PRobatur. Nam de instrumento poenarum Inferni loquentes Prophetæ, ignem praecipue assignant. Job siquidem (*a*): *Ad nimium calorem*, ait, *transeat ab aquis nivium*. Similiter Psalmista (*b*): *Ignis, et suphur*, inquit, *et spiritus procellarum, pars calicis eorum*. Isajas quoque, peccatores a peccatis avertere volens poenarum Inferni consideratione, ait (*c*): *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Tandem Jesus Christus expressis verbis hoc docuit, cum apud S. Matthaeum de finali sententia, quam impiis in Judicio dabit, loquens ait (*d*): *Ite maledicti in ignem æternum*; Ergo etc.

Objic. Nequit intelligi quomodo ani-

(a) *Cap. XXIV. v.* 19.
(b) *Psal.* 10.
(c) *Cap. XXXIII. v.* 14.
(d) *Cap.* XXV. *v.* 31.

nimae spirituales, et Doemones ab igne corporeo in Inferno torqueantur; Ergo non in sensu proprio, sed metaphorio accipienda sunt, quae de igne Infernali leguntur in Scripturis; adeoque etc.

§. 291. ℟. neg. consm. Ex quo occultum sit, et ignoretur præcise, qua ratione ab igne materiali animæ in inferno torqueantur, deduci nequit verum ignem in Inferno realiter non ardere. Quis namque explicavit perfecte, quomodo anima, quæ est spiritualis, agat in corpore, et corpus materiale suis motibus animæ volitionibus correspondeat, et ita quidem ut læso corpore, doleat anima? et tamen non ideo negatur aut animam esse spiritualem, aut cum corpore agere. *Cur* ergo, cum Augustino (*a*), *non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* Nam, *quamvis il-*

 le

(a) *Lib. XXI. de Civit. Dei Cap. X.*

le ignis, ait S. Bernardinus Senensis (*a*), *cum sit corporeus, naturaliter agere non possit in spiritum, ipsum calefaciendo; agit tamen in ipsum ut instrumentum divinæ justitiæ. Et talis dolor maximus est: tum propter potentiam divinæ majestatis ignem illum moventis; tum propter sensibilitatem patientis: tum propter immediationem conjunctionis*. Non ergo negandum est, ignem Inferni esse realem, ex quo nequeat intelligi quomodo ab eo torqueantur spiritus, cum Sacræ literæ clare doceant talem esse (§. 290.) (*b*).

PRO-

(a) *Tomo II. Serm. II. art. 3. Cap. 3.*

(b) *Legantur* Siuri *de Novissimis Tract.XX. XXI.* Mastrius *Disput. XXVI. q. I. art. 2.* Bernardus a Bononia *Lib. II. Inst. Theolog. Tract. IX. q. 3.* Tournely *Tom. II. p. 2. q. XI. art. 2. et 3.*

Caput VII.

De Purgatorio.

§. 292. Plures non modo ex Veteribus, verum etiam ex Recensioribus adversus Purgatorii existentiam decertarunt; præ cæteris vero Wicclefus, Calvinus, et novissime Volney. Primus namque (*a*) asserere non est veritus, preces pro mortuis, et Purgatorium ignem esse inventum avaritiæ Sacerdotum. Secundus ita declamat (*b*): *Purgatorium esse exitiale Satanæ commentum, quod Christi Crucem extenuat etc.* Tertius tandem (*c*) Purgatorium ridet veluti quid penitus fabulosum, sed opportune a Presbyteris promotum ut redditibus mortuorum ditarentur. Verum omnes Catholici, Purgatorium tuentur. Et juste quidem, ut infra patebit. Interim pro majori dicendorum claritate tria hic tamquam

---

(a) *Proposit. 25. damnata a Concil. Constans.*

(b) *Lib. III. Instit. c. 9. n. 61.*

(c) *In Opere impio, cujus titulus est*. Le Rovine, ossia Meditazioni sulle Rivoluzioni degl' Imperi. *Melius:* La Rovina della Religione, e delle Anime.

quam certa , atque explorata habenda sunt .

§. 293. Primo nempe : dari aliqua peccata levia, quæ licet Charitatis fervorem imminuant , amicitiam tamen cum Deo minime destruunt . Nam dicitur in Scripturis (*a*) : *Septies in die cadit justus*; et (*b*): *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus . Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum ; peccatum vero cum consummatum fuerit , generat mortem* . Jam vero clarum est , justum neque septies cadere mortaliter ; neque omne peccatum ab hominibus perpetrari, quod consummatum sit ; adeoque etc.

§. 294. Secundo : In impii justificatione sive per Sacramentum Poenitentiæ , sive per Contritionem perfectam , licet deleatur reatus culpæ , et remittatur poena æterna peccato mortali debita , non semper tamen tollitur omnis poena temporalis, ut proinde nihil Divinæ justitiæ satisfaciendum supersit . Nam Adam eductus fuit a delicto suo , et ab æterna morte liberatus , poenis tamem corporalibus expers non fuit . David condonatio-

nem

(a) Proverb. *Cap.* XXIV.
(b) Jacobi *Cap. I.*

nem patrati adulterii, et homicidii obtinuit; dixit namque ei Natham (a) : *Dominus transtulit peccatum tuum*; attamen a poena temporali liber non fuit; filius enim, qui ei natus fuerat mortuus est. Nos pariter Sacramento baptismatis a peccato originali, atque ab aeterna morte liberamur, mala vero temporalia non evadimus.

§. 295. Tertio tandem : Non omnes justos ex hac vita discedere, habentes animam ab omni macula purgatam, et ab omni reatu poenæ liberam. Nam cum justus septies in die, hoc est sæpius, venialiter cadat, aut plenam pro peccatis remissis satisfactionem Deo dare teneatur, si evenit, ut vel improviso moriatur, vel antequam complete satisfecerit, ipse proculdubio secum feret peccata venialia, et reliquias peccatorum mortalium, pro quibus satisfacere debet. Quibus positis, sit modo.

PRO-

(a) *II. Regum Cap. XVI.*

PROPOSITIO I.

Datur Purgatorium.

§. 296. PRobatur 1. ex Scripturis. Etenim apud Isaiam legitur (*a*): *Purgabit Dominus sordes filiorum, et filiarum Sion . . . in spiritu judicii, et spiritu combustionis*, quibus verbis Purgatorium designari docet Augustinus (*b*). Deinde Tobias dixit Filio suo (*c*): *Panem tuum, et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare cum peccatoribus*. Jam vero per hoc volebat Tobias animabus mortuorum opem ferri; Ergo etc. Rursus in Libro Machabæorum (*d*) habetur: *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut á peccatis solvantur*; Atqui nonnisi animæ, quæ sunt in Purgatorio a peccatis solvi possunt; ergo datur Purgatorium. Tandem Christus apud Matthæum (*e*) dixit esse quædam peccata, quae

(a) *Cap. IV.*
(b) *Lib.* XX. *de Civit. Dei Cap.* 25.
(c) *Cap. IV.*
(d) *Cap. XII.*
(e) *Cap. XII.*

quæ *non remittentur in hoc sæculo, neque in futuro*; per hoc ergo datur intelligi, ait S. Gregorius (*a*); *Quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse relaxari*; adeoque etc.

§. 297. Prob. 2. ex Conciliis; et pro omnibus sit Florentinum, quod in Decreto Unionis, statuit: *Si vere pœnitentes in Dei charitate decesserint antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, et de omissis, eorum animas pœnis Purgatoriis post mortem purgari etc.* (*b*).

§. 298. Prob. 3. ratione Theologica. Multi justi ex hac vita discedunt vel cum peccatis venialibus nondum purgatis, vel cum reliquiis mortalium peccatorum, jam remissorum (§. 295.); Ergo hi neque in Paradisum, neque in Infernum deducentur; non in Paradisum, quia eum non ingrediuntur nisi animæ perfectæ purgatae (§. 247.); *nihil namque coinquinatum intrabit in Regnum Cœlorum* (*c*); non in Infernum, quia ibi animae praescitorum descendunt; Ergo in ali-

(a) *Lib. IV. Dialog. Cap.* 19.

(b) *Videatur etiam Trident. Sess.* 25. *et Sess.* 6. *Can.* 30.

(c) Apocal. *Cap. XXI. v.* 27.

aliquo loco tertio sint oportet. Atqui in loco isto purgari debent a maculis, et Divinae justitiae pro poena temporali in vita non soluta, satisfacere; Ergo sunt in Purgatorio; adeoq. etc. (*a*).

Argumenta adversariorum solvuntur.

Objic. In Sacra Scriptura duo tantum loca assignantur; aeterna nempe vita pro justis; aeternum supplicium pro reprobis; Ergo nullus datur locus tertius qui Purgatorium vocatur; adeoque etc.

§. 299. ℟. Duo tantum loca pro receptaculis animarum post mortem assignantur quidem, sed post finale Judicium, non vero in praesenti statu, sicuti ostensum est (§. 261. et seq.).

Contra. Atqui etiam in praesenti statu duo tantum sunt praedicta loca; Ergo n. r. Prob. subsm. Anima ubi post mortem ceciderit, ibi erit; legitur namque in Scriptura (*b*): *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit*; Ergo etiam etc.

§. 300. ℟. Laudato testimonio non excluditur Purgatorium. Nam ibi sermo est de sorte consummata defuncti, quae im-

(a) *Vid.* S. Bonaventura *Breviloquii Par. VII. Cap.* 2.

(b) Sapient. *Cap. XI.*

immutari nequit. Jam vero sors justi non immutatur, etiamsi sit in Purgatorio; in loco enim salvationis, et ad Austrum est justus, ibique profecto erit, ad tempus nempe in loco purgationis, postea in aeterna tabernacula in Coelis assumendus.

Contra. Atqui omnino nullus locus purgationis datur, sed illa duo tantum; Ergo a capite argum. Prob. min. subs. Purgatorium est locus tormentorum; Atqui animae justorum, cum ex hac vita discedunt, ad quietem vocantur: *Amodo enim dicit eis spiritus, ut requiescant a laboribus suis* (a); Ergo etc.

§. 301. ℟. Laudato in loco sermo est de illis, qui tempore Antichristi ingentes persecutiones, atque labores pro domino substinebunt; unde in perfecta charitate existentes, et igne tribulationis vitæ præsentis ab omni macula purgati, quinimo meritis onusti, palmis, et coronis ornati, discedunt. His utique dicitur, ut ex eo tempore, mortis nempe, a laboribus requiescant in Cœlis; digni namque sunt qui æterna felicitate fruantur post tot ærumnas, tam patienter pro Domino supe-

(a) *Apocalyp. Cap. XIV.*

peratas, et bona opera patrata, quæ illos sequuntur (*a*).

Propositio II.

Animæ in Purgatorio degentes duplici pœna torquentur; pœna nempe Damni, *et pœna* Sensus.

§. 302. Probatur prima pars. Animæ in Purgatorio degentes intuitiva Dei visione privantur; Atqui in privatione ista, uti docent Patres, et Theologi consistit Pœna damni; Ergo etc. Probatur maj. Visio beatifica stare nequit cum macula, atque tristitia; Nam qui ea gaudet jam supponitur perfecte purgatus (§. 247.); quare adimpletur lætitia, et torrente divinæ voluptatis potatur; imo satiatur plene objecto illo beatifico, atque in illud transformatur, juxta illud Joannis (*b*): *Si-*

(a) *De Purgatorij existentia adversus Hæreticos, aliosque Incredulos fusius agunt* Bellarminus *Tomo II. Controv. III. duobus Libris*. Boucat *Tomo I. Theolog. Patrum Dissertat. IV. art.* 8. Mastrius *Disput.* XXIV. *art.* 1. Carolus Franciscus a Breno *Tomo I. Lib. I. Cap. IV. q.* 3., Estius *in IV. Dist. XXI.*

(b) *I. Joan. Cap. III. v.* 2.

Similes ei erimus; *quoniam videbimus eum sicuti est*; et D. Pauli ad Corinthios (a): *Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur*; Atqui animæ in Purgatorio degentes, tristitia afficiuntur, et pœna ut Deo satisfaciant pro reliquiis peccatorum, et ab omni macula culpæ venialis purificentur; Igitur beatifica visione etc. Adeoque etc.

§. 303. Probatur 2. Pars. Animæ ideo in Purgatorio detinentur, ut pro venialibus satisfaciant, et pœnitentiam compleant, quam in vita non impleverunt; Atqui hoc nonnisi sensibili pœna obtinetur; Ergo pœna sensus, et quidem ab igne materiali, afficientur. Nam; *Ordo Divinæ justitiæ exigit, ut Spiritus ab igne materiali habeat puniri; ut sicut secundum ordinem naturæ, anima unitur corpori, ut influat vitam ipsi corpori, sic uniatur igni materiali secundum ordinem justitiæ ut punibile punienti, a quo suscipiat pœnam.* Hæc Seraphicus Doctor (b).

(a) *Epist. II. Cap. III. v. 18.*
(b) *I. Brevilog. Parte III. c. 2.*

§. 304. Jam vero quanta sit, et quam gravis ista pœna, novit Deus. Communis omnium Doctorum sententia est, eam graviorem esse quacunque temporali pœna, quæ in hoc Mundo pati unquam possit (*a*). Unde S. Augustinus (*b*): *Gravius est*, inquit, *esse in Purgatorio ad ictum oculi; quam quidquid pœnæ in hac vita possit excogitari*.

Propositio III.

Animæ in Purgatorio degentes certæ sunt de futura beatitudine.

§. 305. PRobatur. Nam quælibet anima in actu separationis a corpore particulare sustinet judicium, quo pœna ei decernitur vel præmium (§. 255.); Egressæ proinde animæ a corpore, sciunt ubi sunt, in loco nempe damnationis æternæ, vel salutis. Cum ergo animæ in Purgatorio sciant se non esse a Deo in Tartarum Dæmonum damnatas, sed in gratia, et amicitia Dei permanere, certæ

(a) *Vide* Mastrium *Disp. XXIV. q. 2. art. 2.*
(b) *De Pœnit. D. 9. c. ult.*

tæ procul dubio sunt earum poenas aliquando finituras, seque ad æterna gaudia avolare.

Propositio IV.

Animæ in Purgaterio degentes nec mereri, nec peccare possunt.

§. 306. Probatur. Nam uti in Ecclesiaste (*a*) habetur: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem*; hoc est, ait S. Hieronymus (*b*): » Donec vivunt homines possunt fieri ju» sti, post mortem vero nulla datur bo» ni operis occasio . . . . . nec juste » possunt agere, nec peccare, nec vir» tutes adjicere, nec vitia » (*c*). Ergo etc.

 Pro-

(a) *Cap. IX.*
(b) *In hunc loc.*
(c) *Vide alia apud* Bellarminum *Lib. II. de Purgat. Cap. 2.*

PROPOSITIO V.

Animabus in Purgatorio existentibus vivorum fidelium suffragia prosunt.

§. 307. PRobatur. In Libro II. Machabæorum legitur (*a*): *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; Ergo etc. Et sane, ait S. Isidorus (*b*): » Nisi Catholica Ecclesia crederet fidelibus » defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosinam faceret, vel Deo sacrificium offerret. *Unde*. » Non temere ab Apostolis, *ait* » *Chrysostomus* (*c*), haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis Defunctorum agatur commemoratio; sciunt » namque inde multum illis contingere » lucrum, utilitatem multam. *Quare*: » Non sunt praetermittendae, *monet* » *Augustinus* (*d*), supplicationes pro » spi-

---

(a) *Cap.* XII. *v.* 46.
(b) *Lib. I. de Officiis Divinis Cap.* 18.
(c) *Hom.* 41. *in Epist. I. ad Corinth.*
(d) *Libro I. de cura pro mortuis.*

» spiritibus mortuorum, quas faciendas
» pro omnibus in Christiana, et Catho-
» lica societate defunctis suscepit Eccle-
» sia » (*a*). Ergo etc.

(a) *Vide Auctores citatos*, (§. 301.) *Quibus adde Consterum in Enchirid. Controv. de Purg. Prop. 7. S. Thomam in Suppl. q. 67. art. 2. et 6.*

TRACTATUS VI.

De Indulgentiis.

DEus, qui Omnipotentiam suam parcendo maxime, et miserando manifestat, sicuti neminem volens in Inferno aeternaliter cruciari, per salutaria remedia, et Sacramenta homines sibi reconciliat, atque adversus hostes visibiles, et invisibiles armis suæ virtutis munit, et protegit; ita neminem in se sperantem reconciliatum nimium affligi permittens in hac vita, aut post mortem piacularibus flammis exuri, multiplicat super nos misericordiam suam, et per merita dilectissimi Filii sui, ejusque SS. Genitricis Mariae, aliorumque Sanctorum, liberaliter indulget de poenis temporalibus ad satisfaciendum post mortalis culpae condonationem relictis, quod humana fragilitas non sustinet. Vere misericordiarum Pater, pius, clemens! Nunc ergo de Thesauro isto Divinae largitatis agentes, ejus existentiam, atque naturam explanabimus; necnon omnia quae ad ejus valorem, concessionem, applicationem, et usum scitu necessaria sunt, breviter exponemus.

CA-

Caput I.

De Indulgentiæ, ac Jubilæi nomine, atque natura.

§. 308. INdulgentiae vocabulum a verbo *indulgeo* derivatur. Duplici autem sensu usurpatur, *pro condescendentia* nempe, veluti cum Apostolus scribit ad Corinthios (*a*): *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium*; et pro *remissione*, ut cum apud Isaiam dicitur (*b*): *Prædicare captivis indulgentiam*; nempe *remissionem*, uti habetur in Evangelio S. Lucae (*c*).

§. 309. Indulgentia ergo ita potest describi: *Est remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus, quoad culpam jam remissis, facta extra Sacramentum ab habente facultatem per applicationem Thesauri Ecclesiæ.*

§. 310. Indulgentia itaque neque culpa mortalis, aut venialis, neque poenae aeternae reatus tollitur; aut poena, quae

(a) *Epist.* I. *Cap. VII.*
(b) *Cap.* 61.
(c) *Cap. IV.*

quae pro delictis in foro contentioso sive seculari, sive Ecclesiastico infligi solet, condonatur, sed solum poena illa temporalis remittitur, quae aut injuncta est, aut secundum Sacros Canones foret vere poenitenti injungenda. Unde falleretur quicunque existimaret, per Indulgentiam sibi condonari peccata, atque aeternam poenam remitti absque Sacramento Poenitentiae, vel saltem contritione perfecta (*a*).

§. 311. Jubilaei nomen non ab uno Hebraeo vocabulo derivari docent Theologi. Quidam enim cum Lirano, et Turrecremata, a voce *Jobel*, quae idem est ac *Buccina*, derivatum dicunt, eo quod Buccinae sonitu Hebraeorum Jubilæus indicebatur. Alii cum Bellarmino a verbo *Jubal*, quod significat *producere*, seu *germinare*, volunt derivari; quia illo anno quinquagesimo, qui sacer, et Jubilaeus erat, terra absque operariorum labore, et cultura de se germinabat herbam, et fructus producebat.

§. 312. Quidquid autem sit de Jubilaei nomine; nobis Jubilæus nihil aliud est, quam *Annus, quo visitantibus certas Ecclesias, et certa pia opera facien-*

(a) *Vid.* Bellarminus *Lib. I. de Indulg. Cap. 7.*

cientibus Indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa absolutionem a peccatis, et censuris reservatis, et circa commutationem votorum (*a*).

§. 313. Indulgentia ergo in hoc differt a Jubilaeo, quod huic habentur annexa privilegia, absolvendi scilicet a casibus, et censuris reservatis, commutandi vota etc. (§. 312.); non sic autem illi.

§. 314. Quamvis vero ex doctrina Indulgentiarum maximum solamen humana infirmitas suscipiat, eam tamen irrident atque aspernantur, veluti superstitiosum inventum, Christo ejusque Ecclesiæ injuriosum Hæretici non pauci. Ac primi quidem, qui dixerunt Indulgentias nihil valere, fuerunt Valdenses, vulgo *Pauperes de Lugduno*. Hos postea secuti sunt Wiclefus, Ussitæ, Lutherus, Calvinus, Zuinglius, eorumque sectatores. Contra quos Catholici omnes decertant.

PRO.

(a) *Videat. P.* Viva *de Jubilæo*.

PROPOSITIO

Indulgentiam pœnitentibus concedere, ab ipso Apostolorum tempore fuit in usu.

§. 315. PRobatur. Nam ex Epistola secunda ad Corinthios (*a*) patet, Apostolum Paulum remisisse incestuoso Corinthio partem pœnarum justitiæ Divinæ debitarum; ait siquidem: *Sufficit illi, qui ejusmodi est objurgatio haec, quæ fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundatiori tristitia absorbeatur . . . Cui autem aliquid donastis, et ego. Nam ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Ergo etc.

CA-

(a) *Cap. II. v. 6. 7.*

Caput II.

De spirituali Ecclesiæ Thesauro, ejusque dispensatoribus.

§. 316. THesaurus spiritualis Ecclesiae nihil est aliud, quam *maximus quidam, et inexhauribilis cumulus meritorum, et satisfactionum, quæ a Christo Domino, ejusque vivis membris superfuerunt, et in acceptatione, memoriaque Divina servantur, et in utilitatem Ecclesiæ membrorum erogari possunt per legitimam Indulgentiarum concessionem.*

§. 317. Thesaurus porro iste constat in primis ex meritis, et satisfactionibus Christi, quae sunt valoris infiniti; deinde ex meritis B. Mariae semper Virginis, atque aliorum Sanctorum, qui plus passi sunt quam eorum peccata requirerent. Ex superfluentibus ergo meritis, et satisfactionibus Christi Domini, atque ex superabundantibus passionibus, et operibus tum Sanctissimae Dei Genitricis, tum omnium Sanctorum, Thesaurus iste Ecclesiasticus efformatur, atque emergit.

Pro-

PROPOSITIO I.

Extat revera in Ecclesia spiritualis Thesaurus.

§. 318. PRobatur 1. Christus ut Homo Deus est persona infinita; ergo ejus merita et satisfactiones sunt infiniti valoris; Atqui quod infiniti est valoris exhauriri nequit; Ergo Thesaurum inhesauribilem reliquit Christus Ecclesiae suae. Deinde Christus, quia innocens, et Sanctus, pro se non indigebat ulla satisfactione; totum ergo pretium sui sanguinis dedit in redemptionem hominum; passio itaque, et mors Christi, non solum sufficiens fuit homini redimendo, sed superabundans; Atqui ex hac superabundantia constat Thesaurus Ecclesiae (§.317.); ergo etc. Tandem *Christus pro omnibus mortuus est; estque propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* (*a*): Atqui non omnibus reipsa applicatur pretium mortis Christi ad expianda peccata, quia maxima pars hominum aeternae dam-

(a) *I. Joan. Cap. 2. v. 2.*

damnationi est addicta juxta illud (*a*) : *Multi sunt vocati, pauci vero electi*; ergo multum de illo pretio remanet, quod semper applicari potest, et quantumlibet applicetur, semper redundabit. Ergo etc.

§. 319. Probatur 2. Virgo Deipara nullum attuale peccatum neque mortale, neque veniale commisit; imo neque originale contraxit; de ipsa enim ait Salomon in Canticis (*b*) : *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te* : Maria Virgo itaque nulla indiguit satisfactione pro seipsa; Atqui permulta passa est pro Dei gloria in exercitio Divinæ maternitatis, atque plus meruit, quam omnes creaturæ simul sumptæ; ergo quod illi superabundat, Thesaurum Ecclesiæ ingreditur. Tandem alii SS. permulti plus laboraverunt, et passi sunt, ac requireretur ad satisfaciendum pro seipsis. Quid passi non sunt Job, Elias, Eliseus, Isaja, Hieremias, Ezechiel, et alii non pauci Veteris Testamenti sive Patres, sive Prophetæ? Et tamen ipsi erant sanctissimi viri, qui tantis tribulationibus probari non merebantur. Quid non fecit S. Joannes Baptista, quidve pas-

(a) *Matth. Cap.* XX.
(b) *Cap: IV.*

passus non est? et tamen innocens erat et in matris utero sanctificatus. Quid non fecerunt Apostoli, aut quid laborum, et tribulationum non sustinuerunt pro fide per universum orbem stabilienda? Quæ, et quanta Martyres Domini passi non sunt, quod mensuram excederet satisfactionis pro se dandæ? Quid non fecerunt tot innocentes Virgines; tot Ordinum Fundatores incliti? multum quidem per omnem modum excedit quod facere debuissent ad satisfaciendum pro seipsis. Hic porro excessus, in Thesauro Ecclesiæ reconditur; Adeoque etc.

PROPOSITIO II.

Spiritualis Thesaurus ita est Ecclesiæ concreditus, ut illius bona in favorem fidelium distribuere possit.

§. 320. PRobatur 1. Apud S. Matthæum ait Christus (a): *Quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata et in Cœlo: et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in Cœlo;*

(a) *Cap. XVIII. v. 18.*

lo ; *Atqui alligare* super terram, nihil aliud significat, quam, aut non remittere peccata, aut opera laboriosa pro peccatis imponere ; solvere vero, aut remittere peccata, aut relaxare aliqua ex parte opera laboriosa pro peccatis remissis debita ; Ergo etc. (*b*).

§. 321. Prob. 2. ex Concilio Tridentino, ubi legitur (*c*) : *Cum potestas, conferendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita ; antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit; Sacro-Sancta Synodus . . . . eos anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Objectiones adversariorum solvuntur.

Objic. 1. Nullus datur Ecclesiæ spiritualis thesaurus ex passionibus Christi constans, si Christus pro suis passionibus completam a Deo recepit mercedem; Atqui res ita se habet, dicente Apostolo (*b*): *Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem . . . pro-*

(a) *Vid. Estius in Lib. IV. Sent. Dist.* 20. §. 2.
(b) *Sess.* XV. *in decreto de Indulg.*
(c) *Ad Philip. Cap. II, v.* 8.

propter quod et Deus exaltavit illum etc.; Ergo etc.

§. 322. ℟. Passiones Christi quatenus meritoriæ erant, aliquod præmium a Deo Patre obtinuerunt, gloriam nempe corporis ejus, et nominis exaltationem; Sed ut satisfactoriæ, ipsi supervacaneæ fuerunt, quia peccatum non fecit, nec proinde satisfactione aliqua indigebat (§. 318.); quare in Ecclesiæ Thesauro repositæ sunt.

Contra. Atqui Christi passiones, etiam uti satisfactoriæ, completam mercedem receperunt, ut proinde nihil amplius superfuerit pro prætenso Ecclesiæ Thesauro; Ergo n. r. Prob. subs. Christus passionibus suis Divinæ justitiæ pro peccatis totius Mundi satisfecit; Atqui peccata lethalia, uti offensa infinitæ Majestatis, continent malitiam infinitam; ergo pretium infinitum pro illis Christus solvit; Adeoque etc.

§. 323. ℟. Ad delenda omnia totius Mundi peccata Christi Domini passiones, non solum sufficientes sed superabundantes fuerunt. Nam cum quaelibet Christi passio, utpote personae infinitae, sufficiens fuisset ad expiandas omnes culpas lethales, et pœnas pro eis debitas; cumque

in-

innumerabiles fuerint Christi passiones hujusmodi, semper, atque semper superest pretium, et quidem superabundans quod Ecclesia ad nostra debita solvenda applicare potest.

Objic. 2. Thesaurus spiritualis, qui defenditur injuriam facit Christo; Ergo non est admittendus. Prob. ans. Miscere simul merita Christi, et merita Sanctorum est injuria Christi; atqui hoc fit pretenso Ecclesiae Thesauro; Ergo etc.

§. 324. ℟. Tunc injuria Christo inferretur si ejus merita, et satisfactiones eodem in ordine, et gradu ponerentur cum meritis et satisfactionibus Sanctorum; At non est ita. Quamvis enim Ecclesiae Thesaurum constare dicimus ex meritis Christi, et Sanctorum, dicimus pariter merita et satisfactiones Christi esse valoris infiniti, non sic autem Sanctorum, quae sunt valoris finiti; Christum per se meruisse, et satisfecisse, Sanctos vero nonnisi per Christum; Christi merita ad remissionem pœnae temporalis concurrere ut causa primaria, et principalis, illa vero ut secundaria, et prout a Christo efficaciam habent. Nulla igitur injuria Christo infertur admittendo Thesaurum Ecclesiae.

Contra. Atqui semper injuria Christo infertur, licet Christi satisfactiones in alio ordine, ac illae Sanctorum collocentur; ergo n. r. Prob. subsm. Merita, et satisfactiones Christi sunt infiniti valoris; Ergo non debent eis adjungi merita, et satisfactiones Sanctorum; sed adjunguntur; Ergo semper etc.

§. 325. ℟. neg. utramque consm. Merita namque, et satisfactiones Sanctorum, non ideo meritis, atque satisfactionibus Christi adjunguntur, quasi necessariæ ut hae suum sortiantur effectum; non equidem. Sunt enim hae satisfactiones infiniti valoris, de se proinde sufficientes abunde ad remissionem omnium culparum, et pœnarum; adjunguntur ergo, ne sint inanes, et otiosae coram Deo, et tot laborum fructus pereant (*a*).

PRO-

(a) *Videat.* Bellarminus *Lib.I. Cap.IV. de Indulg.* Antoinè *Tomo II. Append. de Indulg. q. 2.* Estius *in IV. Sentent.. Dist.20.* §.5. Tournely *Tomo IX. de Sacr. Pœnit. q. ult. art. 3.*

Propositio III.

Summus Pontifex potest quascunque Indulgentias in tota Ecclesia concedere. Alii vero Praelati non ita.

§. 326. Nam concedere Indulgentias quascunque est actus supremae jurisdictionis; Atqui Summus Pontifex jurisdictionem habet in universam Ecclesiam (§. 174.); Ergo etc. Quare Clemens VI. (*b*), sic loquitur: *Unigenitus Dei Filius . . . Thesaurum militanti Ecclesiae adquisivit . . . . Quem quidem Thesaurum . . . . per B. Petrum Coeli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum ex propriis, et rationalibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter, quam specialiter, (prout cum Deo expedire cognoscerent) vere poenitentibus, et confessis misericorditer applicandum.*

§. 327. Prob. 2. pars. Alii Praelati, Epi-

(a) *In Extravag.* Unigenitus *de Poenit.*

Episcopi nempe , ac Metropolitani non possunt omnibus , et quascunque Indulgentias concedere , sed solum Indulgentias partiales , atque illi solum in propria Diœcesi , isti in tota Provincia , in his namque habent jurisdictionem . Idipsum facere possunt Cardinales ex tacita concessione Summi Pontificis . Legati vero , et Nuntii Apostolici ex speciali , vel generali commissione Summi Pontificis , in omni loco , ad quem suae legationes se extendunt , Indulgentias concedere possunt ,

PROPOSITIO IV.

Ad concedendam Indulgentiam justa causa requiritur .

§. 328. PRobatur . Nam Pontifex , et Episcopi sunt non solum , ex Apostolo (*a*) , *Dispensatores mysteriorum Dei* ; sed ex D. Petro (*b*) : *Boni dispensatores multiformis gratiæ Dei* ; Atqui bonus dispensator Thesauros Domini sui, non temere , et pro lubitu , sed prudenter ,

(a) *I. Corinth. Cap. IV.*
(b) *Epist. I. Cap. IV.*

ter, et rationabili ex causa dispensat, alias non dispensator esset, sed dissipator; Ergo ad concedendam etc. Deinde Dominus ratam habere non potest sui Thesauri direptionem, aut dissipationem, sed nullam reputat; Ergo Deus nec ratam habet, nec approbat Thesauri Ecclesiae dispensationem, Indulgentiam nempe, quoties absque justa causa conceditur. Adeoque etc. Quare Tridentina Synodus (a) hæc habet: *In his concedendis moderationem, juxta veterem, et probatam Ecclesiæ consuetudinem, adhiberi cupit Sacrosancta Synodus, ne, nimia facilitate, Ecclesiastica disciplina enervetur.*

CAPUT III.

De multiplici Indulgentiarum varietate.

§. 329. Indulgentia alia est plenaria, et totalis, alia partialis. *Indulgentia plenaria est remissio totius pœnæ temporalis, peccatis rite confessis debitæ. Indulgentia vero partialis est remissio partis*

(a) *Sess. XXV. de Indulg.*

tis tantum illius pœnæ ; uti est indulgentia centum annorum, quadraginta dierum etc.

§. 330. Insuper Indulgentia alia dicitur *personalis*, alia *localis*, et alia *realis*. *Personalis* est illa quae alicui personae conceditur, eamque comitatur: talis est illa quae conceditur habitum religiosum induentibus in die vestitionis. *Localis* est illa, quae in favorem alicujus loci conceditur, talis est illa quae Templis, vel Oratoriis, ob peculiarem aliquam festivitatem etc., confertur, quamque lucrantur, qui cum debita dispositione illa visitant. *Realis* tandem est illa quae alicui rei, uti Rosario, Coronae, Numismati, Crucifixo etc. est annexa.

§. 331. Inter alias porro locales Indulgentias, celebris est illa, quae vulgo *Portiunculæ* nuncupatur; atque hodie in Universis Seraphici Ordinis Ecclesiis a primis Vesperis Kalendarum Augusti, usque ad secundas Vesperas 2. diei ab universis Christi fidelibus lucrari potest. Celebris inquam; nam et a Christo Domino precibus Divi Francisci fuit immediate concessa; et miraculis confirmata; atque a pluribus Pontificibus, nedum approbata, et ad Ecclesias Universas Ordi-

dinis Franciscani extensa, sed summis laudibus celebrata, magnoque in pretio habita.

§. 332. Quamvis autem haec Indulgentia fere in omnibus terrae partibus nota sit, et ubique fideles ad eam lucrandam concurrant, nihilominus, ore impio Kemnitius blasphemare est ausus, eam esse impudentissimam fabulam. Nec sine causa, ait optime Bellarminus (*a*), quoniam per historiam de hac Indulgentia, *tria Catholica dogmata confirmantur, unum de Indulgentiis, alterum de Pontifice Maximo, tertium de Confessione. Siquidem ad preces S. Francisci Christus ipse plenariam Indulgentiam dedit, sed nonnisi per ministerium Vicarii sui Pontificis Maximi dedit, nec nisi per contritionem, et confessionem a culpa expiatis, et eam Ecclesiam visitantibus dedit*. Non defuerunt insuper alii, qui hujus Indulgentiae existentiam negare non valentes, eam una tantum vice, et non *toties quoties* lucrari posse aggressi sunt sustinere. Irrito tamen semper conatu. Unde sit.

(a) *Lib. II. De Indulg. Cap. XX.*

Propositio

Indulgentia Portiunculæ toties quoties *a Christi fidelibus bene dispositis lucrari potest.*

§. 333. Probatur. Nam haec Indulgentia ita petita fuit, et obtenta a Seraphico P. S. Francisco. Legitur quippe (a): quod *supplex petiit, ut omnibus Ecclesiam illam introeuntibus concederet veniam, et indulgentiam omnium peccatorum suorum, quorum confessionem sacerdoti fecissent. Respondit Dominus, id sibi placere: præcepitque illi, ut ejus Vicarium adiret, et ab eo suo nomine illam indulgentiam postularet*; quod et fecit, et obtinuit. Nam sequitur; *intelligens Pontifex divinam voluntatem, concessit eam B. Francisco plenariam quidem, et liberam, ac perpetuam, sed unius dumtaxat diei naturalis cujuscumque anni, hoc est a Vesperis Kalendarum Augusti usque ad Vesperas sequentis diei*. Sanctus ergo Franciscus non pro una vice tantum talem indulgentiam petiit, sed in

(a) *In Breviar. Francisc. die 2. Aug.*

in perpetuum ; ut *quoties* scilicet fidelis cum requisitis conditionibus dictam Ecclesiam visitaret, *toties* indulgentiam lucraretur. Quod si Pontifex Indulgentiam istam generaliter petitam, restrinxit ad unum naturalem diem, non ideo hoc privilegio fideles orbavit, ut nempe intra latitudinem illius diei, pluries eam lucrarentur; quippe non mutavit Indulgentiam, sed illam concessit, quam S. Franciscus a Domino petiit, licet, ut diximus restrictam quoad temporis continuationem (*a*). Deinde praxis communis omnium fidelium, ubique locorum, et Romæ existentium; fidelium inquam, non simplicium, aut femellarum, sed Primatum, Magnatum, atque Doctorum hæc est, pluries eadem die Ecclesiam visitare, atque alia necessaria peragere, ut pluries Indulgentiam lucrentur; Adeout, licet ab aliquibus reclamatum fuerit, quasi abusus esset pluries eamdem Ecclesiam visitare, nihilominus antiquam consuetudinem nemo mutare potuit; et quamvis super hoc Sacræ Cardinalium Congregationi recursus dati fuissent, Sacra nihilominus Congrega-

ga-

(a) *Leg.* Mastrius *Disp.* 23. *de Indulg. q.* 4. *art.* 2. *n.* 66.

gatio semper *censuit servandum esse solitum* (a); Ergo etc.

Objic. 1. Indulgentia plenaria, quilibet fidelis remissionem consequitur totius pœnæ temporalis, pro culpis remissis, debitæ; nihil proinde ei superest luendum; ergo in eadem die, una vice tantum, lucrari potest; Atqui Indulgentia Portiunculæ est Plenaria; ergo una vice tantum in eadem die lucrari potest; adeoque etc.

§. 334. ℟. Indulgentia Plenaria, fideli utique optime disposito, tota pœna pro peccatis remissis debita remittitur, at non ideo Indulgentia Portiunculæ *toties quoties* lucrari eadem in die nequit; nam ex Summorum Pontificum concessione, cum ea applicabilis quoque sit animabus Purgatorii, eam, licet non pro se pluries, sed modo pro una, modo pro alia anima applicare potest fidelis, sicque *toties quoties* eam lucrare. Cæterum dici potest; fidelem, etiam pro seipso eodem die pluries Indulgentiam plenariam lucrari posse. Cum namque sæpe eveniat, ut nonnulli non integram Indulgentiam adquirant, quia tepide opus injunctum (b) exequuntur et

(a) Ferraris *Verbo* Indulgentia *Art. V. n.* 37.
(b) *Idem ibid. Append. altera per totum.*

et aliunde ad maximam pœnam temporalem pro peccatis commissis solvendam tenebantur, repetendo injunctum opus cum fervore, integram Indulgentiam lucrantur.

Objic. 2. Indulgentia Portiunculæ si *toties quoties* eadem die lucrari posset. Pontifices id in suis Bullis, atque Decretis expressissent; Atqui non expresserunt. Ergo etc.

§. 335. ℟. Falsum omnino est, Pontifices in suis Bullis de Indulgentia Portiunculæ nullo modo expressisse, eam *toties quoties* lucrari posse; nam S. Pius V. in Bulla quæ incipit (*a*): *Cupientes*, concedens Indulgentiam Portiunculæ Ecclesiæ Monasterii, seu Domus S. Mariæ de Angelis Oppidi, seu loci de Ceraluo, ait: *de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus et confessis, qui dictam Ecclesiam in*

(a) *Apud P. Martinum Discalceatum S. P. Francisci in* Opere, *cui titulus* Exposicion de los Fragles Minores *fol.* 509. *n.* 25. *Videatur* Anonym. *in Opella Italice edita* : Discorso Apologetico sulla verità dell'Indulgenza dalla Porziuncula, e maniera di guadagnarsi più volte *pag.* 61.

in die Festivitatis Portiunculæ ejusdem S. Francisci, *devote visitaverint*, *et inibi pro fidei catholicæ exaltatione*, *et hæresum extirpatione pias ad Deum preces fuderint*. Quoties *id fecerint*, Toties *plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam Apostolica auctoritate tenore præsentium misericorditer in Domino concedimus*. Quod si in aliis Bullis idipsum expressum non fuerit, mirari non debemus. Nam Pontifices aut loquendo de Indulgentia Portiunculæ, aut eam extendendo ad alias Ecclesias, locuti sunt de ea, atque eam extenderunt, prout in usu erat in Ecclesia Assisii, et in aliis locis ubi erat concessa; Jam vero in usu erat lucrari *toties*, *quoties* (§. 333.); Ergo superfluum erat id expresse declarare (*a*).

CA-

(a) *De Indulgentia Portiunculæ agunt multi*; *Sed præcipue ex professo* F. Matthias Grovwels *in Libro* Historia Critica Sacræ Indulg. B. Mariæ Angelorum, et P. Joseph a S. Florano *in Opere italico, quod inscripsit*; Indulgenza della Porziuncula illustrata.

Caput IV.

De Dispositionibus, quæ requiruntur ad lucrandas Indulgentias.

§. 336. CUm Indulgentiæ, plenariæ præsertim, divitiæ sint inextimabiles, et omni lapide prætioso, vel margarita desiderabiles, ex inhexauribili Ecclesiæ Thesauro in homines profusæ; cumque scriptum sit (b): *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos: ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos*; omnino necesse est, ut sicuti sine justa causa, et rationabili, Indulgentia non concedatur (§. 328.), ita in eo qui eas lucraturus est, dispositiones dignæ reperiantur. Jam vero de hoc nulli dubium esse potest; solummodo in his dispositionibus assignandis varietas aliqua invenitur: cum alii plures, alii pauciores assignent: Medium tenebimus.

Pro-

(a) *Matth. VII. v. 6.*

PROPOSITIO

Ad lucrandas Indulgentias ex parte suscipientis tria requiruntur; nempe 1. Status gratiæ; 2. executio omnis operis a Pontifice præscripti; et 3. si loquitur de Indulgentia Plenaria, propositum, et sollicitudo, quoad fieri potest, satisfaciendi.

§. 337. EXponitur, et probatur Propositio. Requiritur *status gratiæ*. Nam Indulgentia remittit pœnam temporalem peccatis jam remissis quoad culpam, et pœnam æternam; Si ergo nec peccata, nec poena æterna sunt remissa, remitti utique nequit poena temporalis. Quare in Bullis Indulgentiarum, ut plurimum solet apponi clausula illa: *vere pœnitentibus, et confessis*.

Requiritur 2. *Executio omnis operis a Pontifice præscripti*. Nam Indulgentia ea conditione conceditur, si impletur, quod pro ea lucranda præscribitur. Quod vero conditionate conceditur, non obtinetur nisi adimpleta, et verificata conditione. Si ergo integre non exequatur impo-

positum opus pro ea lucranda præscriptum, nihil lucratur.

Requiritur 3. *Propositum et sollicitudo, quoad fieri potest, satisfaciendi.* Nam Indulgentia adjuvat humanam fragilitatem; siquidem nobis donatur quod fragilitas nostra non sustinet; non vero fovere debet teporem fidelium in satisfaciendo pro peccatis. Unde Gregorius VII. Episcopo Lincolniensi Indulgentiam petenti, respondit: *Absolutionem prœterea peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Apostolicâ Petri et Pauli fulti, tibi mittere dignum duximus; si tamen bonis operibus inhærendo commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum Templum exhibueris* » ut appareat (scribit Baronius ista referens » ad ann. 1073.) Sedis Apostolicæ Indulgentias illis communicari, qui, » quantum suppetunt vires, bene operari non prætermittunt: non autem ignavis, otiosis, ac negligentia torpescentibus » (a).

Di-

(a) *Videantur* Estius in *IV. Dist.* XX. §. *VIII.* Antoine Ferraris *Verbo Indulgentia Appendice altera*: Antoine *Theol. Univ. Tomo II. de Indulg. q.* 14. *Horum autem Doctrina aliis non placet, sed videtur nimis rigorosa.*

Dices. Si hoc verum esset, inutiles certo forent ipsæ Indulgentiæ Plenariæ; Quid namque juvat Indulgentias elargiri, quoties fidelis a satisfaciendi onere non liberatur?

§. 338. ℟. Utilissimæ sunt Indulgentiæ etiamsi homo non totaliter ab onere eximatur satisfaciendi. Nam cum homo multorum peccatorum sarcina gravatur, in cinere, et cilicio, atque jejuniis multis ducere vitam deberet, ut ab se læsæ divinæ majestati satisfaceret. Nimis ergo durum foret, et laboriosum hoc agere. En Indulgentia qua remittitur ei, quod humana fragilitas non sustinet; uti patet exemplo Corinthii incestuosi, cui Indulgentia concessa est, ne abbundatiori tristitia absorberetur (§. 315.). Revera si omnis qui Plenariam lucraretur Indulgentiam, ab omni penitus onere satisfaciendi foret liber; omnes illi, qui in articulo mortis constituti plenariam Indulgentiam recipiunt, omnes in exitu animæ, in Coelum admitterentur, nec ullo suffragio opus haberent; Jam vero Ecclesia consuevit pro illis sacrificia offerre, etc. Igitur etc.

Ca-

Caput V.

De Indulgentiarum applicatione pro Defunctis.

§. 339. OMnes illi, qui ex hac vita discedunt, vel peccatorum suorum pondere pressi demerguntur in Infernum, vel meritis onusti, in Paradisum ab Angelis deferuntur, vel tandem non plene purgati, in Purgatorium detinentur. Porro neque qui sunt in Inferno, neque qui sunt in Paradiso suffragiis, et Indulgentiis adjuvari possunt; non primi, quia sunt extra omnem salutis spem, et veluti palmites præcisi, ad comburendum igni traditi; non secundi, quia nihil habent, quod satisfaciant; sunt enim in plenitudine felicitatis Sanctorum, et Dei. An vero possint Indulgentiæ applicari animabus in Purgatorio existentibus, in controversia est positum. Catholici omnes Theologi, si Ostiensem excipias, tenent, Indulgentias animabus Purgatorii applicari posse: licet in assignando modo, quo eis possint prodesse, non conveniant. Verum illi omnes Hæretici, qui Purgatorium negaverunt (§. 292.)

292.) omnia pariter suffragia pro animabus ibi existentibus sustulerunt.

P R O P O S I T I O I.

Animabus in Purgatorio existentibus Indulgentiæ possunt applicari.

§. 340. Probatur. Fideles defuncti degentes in Purgatorio, propter unionem charitatis cum Ecclesia militante, fidelibus viventibus ita conjuncti sunt, ut unam Ecclesiam efficiant. *Neque enim*, inquit Augustinus (a), *piorum animæ defunctorum ab Ecclesia separantur, quæ est Regnum Cœlorum*. Si ergo eis fidelium vivorum suffragia prosunt (§. 307.), multo magis Indulgentiæ a Summo Pontifice eis applicari possunt, et prodesse.

PRO-

(a) *Lib. XX. de Civit. Dei Cap. 9.*

PROPOSITIO II.

Indulgentiæ non prosunt animabus Purgatorii per modum absolutionis, sed per modum suffragii.

§. 341. PRobatur. Summus Pontifex habet potestatem ligandi, et solvendi in Ecclesia in terris militante, juxta illud Christi (a): *Quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlo*; Atqui animæ in Purgatorio non sunt de Ecclesia militante; Ergo Jurisdictioni Pontificis non subjiciuntur; adeoque nequit Pontifex eas absolvere.

§. 342. Prob. secunda Pars. Suffragium est communicatio, et applicatio alienæ satisfactionis pro defuncto ad obtinendam ei remissionem poenæ temporalis debitæ ob peccata, jam quoad culpam remissa. Atqui ita applicantur Defunctis Indulgentiæ; uti patet ex pluribus Pontificum declarationibus: *Pontifex namque (b) offert Deo ex Thesauro satisfactionum quantum necesse est ad*

(a) *Matth. Cap. XVI.*
(b) *Ait* Bellarminus *Lib. I. de Indulg. Cap.* 14. *q.* 3.

eas liberandas, *et Deus acceptans alienam satisfactionem communicatam animabus Defunctorum*, *eas liberat a reatu illo pœnæ*; Ergo per modum suffragii eis prosunt; Adeoque etc.

Dices. Nonnunquam defuncti ab Ecclesia excommunicantur; aliquando etiam ab excommunicatione absolvuntur; Ergo etiam per modum absolutionis Indulgentiæ possunt Defunctis prodesse.

§. 343. ℟. Absolutio, vel excommunicatio, quæ defunctis ab Ecclesia datur non terminatur ad defunctos directe, sed ad vivos; quatenus nempe Ecclesia defunctos excommunicando, vetat, fideles pro eis orare; vel absolvendo permittit ut fideles pro eis orent, debitoque honore illos prosequantur. Unde allatum argumentum non infirmat propositam thesim.

Propositio III.

Ex justitia potius, quam ex misericordia liberantur animæ, quibus Indulgentiæ applicantur.

§. 344. Probatur. Per Indulgentias, pro Defunctis Deo offeruntur satisfactiones Christi, atque Sanctorum in Thesauro Ecclesiæ repositæ, atque asservatæ; Ergo eas Deus acceptando, animas liberat ex justitia; quia quod illæ luere debebant, jam satisfactum est.

§. 345. Potest nihilominus etiam dici, ex misericordia animas liberari, pro quibus Indulgentiæ applicantur, quatenus misericordia Dei factum est, ut sit communio Sanctorum, qua fit, ut fideles viventes communicent cum fidelibus defunctis in Purgatorio, et possint eis opitulari, illisque ab Ecclesia spirituales Thesauri applicari.

PROPOSITIO IV.

Ut Indulgentiae prosint Defunctis requiritur 1. Suprema auctoritas, et Jurisdictio in concedente; 2. ut ille qui eas lucratur sit in gratia, et exequatur opera injuncta ex intentione applicandi Indulgentias Defunctis; et 3. ut defuncti sint in Purgatorio.

§. 346. Exponitur Propositio. *Requiritur* 1. *suprema auctoritas etc*: Nam solus Romanus Pontifex, utpote qui supremam habet auctoritatem, et jurisdictionem in universam Ecclesiam potest Indulgentias pro defunctis concedere; Episcopi enim nonnisi partialem habent, et restrictam ad solos viventes Dioecesis.

Requiritur secundo, *ut ille qui eas lucratur sit in gratia etc*. Nam qui non est in gratia, et non implet opera injuncta, sicuti non lucratur Indulgentiam pro seipso (§. 337.), ita nec eam potest aliis applicare (a); Deinde esto Indul-gen-

(a) *Non desunt alii qui oppositum tenent apud* Mastrium *Disput.* XXIV. *de Purg. q.* 3. *art.* 1. *n.* 31.

gentia etiam Defunctis applicabilis a Summo Pontifice sit concessa, eis tamen non prodest, si qui eam lucrantur, id non faciant animo eam Defunctis applicandi.

Requiritur 3. *ut Defuncti* sint in Purgatorio; Nam Cælicolis, vel in Infernum damnatis, Indulgentiæ non prosunt, (§. 339.); nec proinde eis applicari possunt.

CAPUT VI.

De operibus injunctis pro acquisitione Indulgentiarum.

§. 347. Cum Indulgentiæ nonnisi justa, et rationabili causa concedi possint (§. 328.). Cumque suscipiens Indulgentias dispositus sit oporteat, et præsertim opera injuncta præstet (§. 337.); de his operibus propterea pauca hic dicere juvat. Porro hujusmodi opera pro acquisitione Indulgentiarum injungi solita, sunt eleemosinæ, peregrinationes, jejunia, visitationes Ecclesiarum; recitatio aliquarum precum, Sacramenta-

talis Confessio, et Eucharistiæ perceptio etc.

PROPOSITIO I.

Si Pontifex in concessione Indulgentiæ exigit Confessionem Sacramentalem, omnia opera injuncta in statu gratiæ perfici debent.

§. 348. NAm Summus Pontifex tunc conditionate Indulgentiam concedit; Ergo nonnisi verificata conditione Indulgentiam concedere intendit. Ergo si *vere pœnitentibus et confessis* intelligit concedere Indulgentiam, dummodo visitent talem Ecclesiam, ex. gr., vel aliud pium opus exequantur; profecto illius Ecclesiae visitatio, vel illius operis executio facta esse debet in statu gratiæ.

§. 349. Porro Sacramentalis Confessio, cum præscribitur, peragi omnino debet etiamsi, qui lucraturus est Indulgentias, lethalis culpæ conscius sibi non sit; est namque conditio a Pontifice requisita. Hoc tamen pacto, quod necesse non sit, ut quis confiteatur vel in festo, cui adne-

nexæ sunt Indulgentiæ, vel in vigilia ejusdem, sed sufficiat ut confiteatur in alio quolibet die præcedenti, modo consueverit semel saltem in hebdomada, ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere, et ab ultima confessione rite peracta, nullum lethale peccatum patraverit (a).

§. 350. Quod si præter Sacramentalem Confessionem, pro lucranda Indulgentia, exigatur Eucharistiæ susceptio, hæc anticipari nequit, sed in ea die exequi debet, pro qua Indulgentia concessa est.

PROPOSITIO II.

Dummodo in concessione Indulgentiæ non exprimatur Confessio Sacramentalis, ad eam lucrandam sufficit status gratiæ per contritionem, saltem eo instanti, quo ultimum opus injunctum perficitur.

§. 351. Nam status gratiae tunc requiritur, cum Indulgentia applicatur. Atqui Indulgentia applicatur statim ac opus injunctum consummatur, et perfici-

(a) Ex Dec. Sacræ Congregat. Indulg. die 9. Decem. 1763.

citur; Ergo saltem eo instanti, quo ultimum opus exequitur, debet quis esse in gratia, ut Indulgentiam lucretur (a).

FINIS TOMI I.

(a) *De Indulgentiis fere omnes Theologi sive Dogmatici, sive Morales pertractant. Præ cæteris legi poterunt* Cardinalis Bellarminus *Tomo II.* Gulielmus Estius *in IV. Sentent. Distinct. XX.* Bartholomeus Mastrius *in Theologia Morali Disputat. XXIII. de Indulgentiis, et Suffragiis.* Antoinè *Theolog. Universa Tomo II.* Boucat *Theolog. Patrum Tomo VII. Art. IX. Sect. 2.* Honoratus Tournely *Tomo IX. De Sacram. Pœnitentiæ quæst. ultima etc.*

Duo alii Tractactus, *qui hic ex Elencho* P. R. Philippi a Carboneano *subnectuntur, unus nempe DE EXTERIORI DEI CULTU; alter DE MEDIATIONE CHRISTI etc. consulto translati sunt in calcem Tomi II. hujus Opellæ.*

Eccellenza

Barnaba Cons. pubblico Stampatore della Città di Napoli, supplicando, espone di voler pubblicare per le stampe un Opera intitolata *Sacrae Theologiae Synopsis ad usum Clericorum Ordinandorum*; ed avendone stampato il primo Tomo in tempo della Costituzione, supplica perciò di scrutinarlo, ed indi permetterne la pubblicazione. Tanto spera, e l'avrà ut Deus.

Barnaba Cons.

All'Illustrissimo, e Reverendissimo Signor Canonico Febbraro perchè si degni rivedere la sopradetta Opera, e riferire il suo parere.

Napoli 3. Maggio 1821.

Gaetano Parroco Giannattasio.

In esecuzione de' pregiatissimi comandi ricevuti dalla Eccellentissima Giunta costituita provisoriamente per la revisione de' Libri, ho letto, ed attentamente esaminato il primo Tomo *Sacræ Theologiæ Synopsis ad usum Clericorum Ordinandorum*, che Fra Giuseppe Arcangelo di Fratta vuol dare alla luce per le stampe. In esso non mi si è presentata espressione, o sentimento che sembrasse opporsi alla Cristiana Cattolica Religione, alla integrità de' costumi, ed ai Sacri Reali dritti del Trono. Che perciò son di parere, se l'Eccellentissima Giunta altrimenti non pensi, potersi il sopraccennato Tomo primo pubblicare per via delle stampe per rendersi profittevole alla Gioventù a Teologici studii applicata. Ed in fede etc.

Napoli li 18. Maggio 1821.

Antonio Canonico Febbraro Revisore.

A S. E.

Il Presidente della Giunta

IL PRINCIPE DI CARDITO

Na-

Napoli 26. Maggio 1821.

Vista la domanda di Barnaba Cons pubblico Stampatore di questa Città di voler pubblicare l' Opera intitolata *Sacræ Theologiæ Synopsis ad usum Clericorum Ordinandorum*.

Visto il rapporto del Regio Revisore D. Antonio Canonico Febbraro per commessa fattagliene dalla Giunta. La Giunta stabilisce, ed ordina, che si stampi l'anzidetta Opera colla inserita forma della domanda del ricorrente Barnaba Cons, e dell' approvazione del cennato Revisore il Canonico D. Antonio Febbraro, però non si pubblichi, se non collazionata di nuovo dallo stesso Revisore l'opera stampata, venga egli a contestare, che concorda con l' originale da esso approvato.

Per copia.

Il Presidente della Giunta

PRINCIPE DI CARDITO.

Il Segretario Generale e membro della Giunta.

Loreto Apruzzese

Per

Per copia conforme il Segretario Generale e Membro della Giunta.

Loreto Apruzzese.

Concordat cum originali.

Antonius Canonicus Febbraro.

ER-

INDEX

TRACTATUUM, ET CAPITUM

Tomi I.

SACRÆ THEOLOGIÆ SYNOPSIS

TRACTATUS I.

TRACTATUS II.

Cap.

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

TRACTATUS V.

TRACTATUS VI.

Cum

Cum primitus manuscripta eduntur, maxime si au tor vel fuerit absens, vel in alias sui muneris partes distractus, haud facile menda vitantur. Quæ igitur in hoc Tomo irrepserunt

	ERRATA	CORRIGE.
Pag.	4. v. 2. *comperere*	*comperire*
	5. v. 6. *repperi*	*reperi*
	6. v. 12. *peculiare*	*peculiarem*
	16. v. 20. *qua Deus*	*quas Deus*
	18. v. 25. præcipuæ	præcipua
	21. v. 10. homini	homini Dei gratia adjuto
	22. v. 12. in homine innocente	in homine innocente, et Divina gratia prædito
	ib. v. 18. pertingit	pertingat
	23. v. 13. naturalis ratio	doctrina revelata
	26. v. 1. insignes	insignium
	29. v. 4. propheticæ	prophetice
	32. v. 1. melins	melius
	ib. v. 12. an fuerit	ne fuerit
	35. v. 14. non secundam	non secundum
	ib. v. 15. prœfiguravit	præfiguravit
	36. v. 25. Scriptutis	Scripturis
	43. v. 26. effectum	affectum
	45. v. 5. micula	miracula
	ib. v. 8. notæ	notas
	49. v. 6. obsinatissime	obstinatissime
	57. v. 20. garrnli	garruli
	58. v. 10. sanctitatem	sanctitate
	61. v. 26. Divinatem	Divinitatem
	63. v. 19. Hæreticorum	; 2. Hæreticorum
	66. v. 2. Ptædamitarum	Præadamitarum
	68. v. 3. fætum	fœtum (*ita semp.*)
	ib. vocabant	vocarent
	73. v. 10. facimus	facinus
	74. v. 8. reperiebatur	reperiebantur

ib.

ERRATA				CORRIGE.
Pag.	ib.	v. 22.	redeptione	redemptione
	76.	v. 16.	comuniter	communiter
	78.	v. 18.	complexus	complexum
	80.	v. 25.	eandem	eamdem
	81.	v. 2.	editæ	edita
	83.	v. 1.	permitttatur	permittatur
	86.	v. 13.	impudentissimæ	impudentissime
	89.	v. 15.	*Doctina*	*Doctrina*
	94.	v. 7.	suimmet	suimet
	ib.	v. 8.	obcuritatem	obscuritatem
	96.	v. 11.	quod	qui
	101.	v. 18.	Chrisostomi	Chrysostomi
	109.	v. ult.	in N. *aliasque*	*aliosque*
	112.	v. 19.	anterior	anterius
	113.	v. 6.	necnon	necnon, ex Apostolica traditione,
	116.	v. 1.	cætus	cœtus (*ita semp.*)
	117.	v. 10.	secundam	secundum
	130.	v. 2.	*diligamns*	*diligamus*
	132.	v. 2.	fædissimo	fœdissimo
	134.	v. 2.	Eeclesiam	Ecclesiam
	135.	v. 18.	Eeclesia	Ecclesia
	136.	v. 27.	Eeelesia	Ecclesia
	137.	v. 7.	fæderatis	fœderatis
	138.	v. 11.	suscipione	*suspicione*
	140.	v. 22.	mornm	morum
	141.	v. ult.	Isajas	Isaias (*ita semp.*)
	ib.	v. 1.	in N. *peivata*	*privata*
	143.	v. 1.	*Ove*	*Oves*
	144.	v. 16.	eum	illud
	145.	v. 23.	Ecclesiam	Ecclesia
	148.	v. 4.	regimines	regimine
	149.	v. 17.	temporæ	tempore
	151.	v. 13.	substistentiam	subsistentiam
	153.	v. 14.	excipias	excipere velis
	170.	v. 4.	Santa	Sancta

ER-

ERRATA			CORRIGE.
Pag. 171.	v. 2.	quod	quoad
176.	v. 9.	coqueritur	conqueritur
179.	v. 9.	Doctoees	Doctores
181.	v. 10.	*tanquam Dei ministros*	*ut ministros Christi*
183.	v. 21.	spirito	spiritu
ib.	v. 22.	Ecelesiam	Ecclesiam
184.	v. 7.	Eeclesiæ	Ecclesiæ
186.	v. 10.	obtenent	obtinent
187.	v. 7.	promistisset	promisisset
ib.	v. 10.	sprso	sponso
191.	v. 2.	gesit	gessit
193.	v. 26.	Dist. maj.	Dist. aus
196.	v. 2.	*controversis*	*controversiis*
198.	v. 2.	suffleĉtus	suffectus
199.	v. 24.	posuit	potuit
202.	v. 14.	pertiractat	pertractat
206.	v. 15.	quodocumque	quodcunque
211.	v. 19.	defendimus	defendemus
214.	v. 3.	infallibilis	infallibile
215.	v. 1.	debebant	deberent
ib.	v. 7.	perlinet	pertinet
217.	v. 2.	Seraphinus	Seraphicus
228.	v. 10.	dobebant	deberent
ib.	v. 12.	habebat	haberet
233.	v. 5.	Legatos	Legatos
245.	v. 7.	Sancæ	Sanctæ
253.	v. 7.	*futurum*	*futuram*
254.	v. 1.	peculiare	peculiarem
256.	v. 16.	sxterminandus	exterminandus
259.	v. 18.	*incurrit, et incurrisse*	*incurrisseque*
263.	v. 2.	in N. *Orthodoæ*	Orthodoxæ
267.	v. 13.	*Revertatnr*	*Revertatur*
276.	v. 3.	nostrum	nostram
278.	v. 6.	superest	supersit
ib.	v. 27.	Armæni	Armeni

ER-

ERRATA			CORRIGE.
Pag. 292.	v. 8.	*poteftati*	*poteftate*
294.	v. 24.	primo ut	prima res, quæ concurrit eſt, ut
302.	v. 16.	Romanus	Romanos
303.	v. 5.	suſtinere	suſtinere ipſi
312.	v. 14.	mortuis	mortuis
314.	v. 14.	excipiendis animabus hominum, quæ	ad excipiendos illos, qui
315.	v. 21.	genere	genere Dæmones, et
ib.	v. 23.	in æternum	in æternum cum corporibus
320.	v. 24.	Philophia	Philosophia
323.	v. 21.	obliviscitur	obliviscitur
ib.	v. 23.	adeour	adeo ut
330.	v. 26.	tamem	tamen
331.	v. 2.	Natham	Nathan
333.	v. 21.	perfecta	perfecte
339.	v. 3.	avolare	avolaturas
ib.	v. 5.	Purgaterio	Purgatorio
361.	v. 3.	tenebantur	tenerentur
ib.	v. 5.	in N. dalla	della
365.	v. 5.	inextimabiles	inæſtimabiles
366.	v. 21.	si impletur	si impleatur
368.	v. 17.	abbundatiori	abundantiori

Alia, quæ occurrent, diligens Lector humaniter emendabit